



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

Titulus VI. De Licentiis, & Permissionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

## TITULUS VI.

De Licentiis, &amp; Permissionibus.

Licentiæ se absentandi à Residencia.

F O R M U L A I.

S U M M A R I U M.

- 1 Licentia absentia à Residencia debet Parochis concedi ab Episcopo causa cognita, quamvis collatio pertineat ad inferiorem.
- 2 Deputatio substitui in absentia Parochi pertinet ad eundem, approbatio verò ad Episcopum.

N. Episcopus N.

**T**ibi N. Parocho Ecclesiæ Parochialis N. nostræ Diocesis, ut à residentia te absentare, & ad Urbem (vel alium locum) ex causa à Nobis cognita accedere, & transferre possis, relicto per te à Nobis approbato substituto, qui munia Parochialia exercere valeat, licentiam in Domino ad duos menses tantum concedimus, & impertimur. Attestantes te esse Sacerdotem bonis moribus imbutum, & ab hac nostra Diocesi abire nulla Ecclesiastica Censura, aliave pœna, quod sciamus, innodatum. Rogantes propterea omnes, ad quos declinabis, ut ad Sacrificium Missæ celebrandum, & ad alia Divina Officia exercenda admittant, & in cunctis faveant, & tueantur. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius.

## ADNOTATIONES.

1 **A**NOBIS COGNITA. Licentia absentia à Residencia debet concedi causa cognita ab Episcopo etiam pro illis Parochis, & Rectoribus, qui collationem obtinuerunt ab alio Præfato inferiori, quamvis Regulari, jurisdictionem plenariam quasi Episcopalem non habente, ut probat Garz. de Benefic. part. 3. num. 179. ubi examinat causas, propter quas possit talis licentia ab Episcopo concedi, vel denegari.

2. **RELICTO PER TE.** Deputatio substituti, sive Oeconomi in absentia Parochi ad ipsum pertinet, dummodo eligat idoneum, qui ab Episcopo, ad quem approbatio spectat, non valeat aliqua rationabili causa rejici. Sac. Congreg. Concilii in Miletin. 7. Junii 1692. in responsione ad primum, & concordat Sac. Congregat. Episcop. in ead. Causa 7. Decemb. 1691.

Li-

Licentiæ retinendi famulam.

FORMULA II.

SYMMARIUM.

- 1 Mulier quinquagenaria præsumitur (quando est honesta) cohabitare posse cum Clerico absque periculo incontinentiæ.
- 2 Mulieres suspectæ, non tantum si famulæ sint, sed etiam consanguineæ cohabitare non permittuntur cum Cle-

- ricis, quamvis senilis ætatis.
- 3 Licentiæ retinendi famulam non est concedenda sine justa, & rationabili causa.
- 4 Episcopus concedendo licentiæ retinendi famulam, non dispensat, ut Clerici possint cohabitare cum Mulieribus, sed declarat in casu proposito cohabitationem non esse punibilem.
- 5 Licentiæ retinendi famulam non exigitur, quando est consanguinea in gradu de jure permissio, nisi esset suspecta.
- 6 Licentiæ retinendi famulam debet gratis concedi.

N. Episcopus N.

**T**ibi R. N. Parocho (sive Presbytero) N. ut famulam nomine N. ætatis 50. annorum, bonæ famæ, & æstimationis, justis de causis animum nostrum dignè moventibus, pro servitiis domesticis, & custodia tuæ Domus retinere possis ad nostrum beneplacitum sine molestia nostræ Curiæ, firma in reliquis remanente prohibitione Sac. Canonum, gratis indulgemus. Datum &c.

N. Vicarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

## ADNOTATIONES.

1. **ÆTATIS 50. ANNORUM.** In hac enim ætate cessat omnis aliena sinistra suspicio, & mulier aliàs honesta præsumitur tunc cohabitare posse sine periculo incontinentiæ: juniores autem Episcopus nisi raro, & ex magna causa non permittat, quod cum Presbyteris solis, Curam animarum præsertim exercentibus, cohabitent, quia illorum pedes descendunt in mortem, & ad inferos gressus penetrant, ut habetur ex Divino oraculo Proverb. cap. 5.
2. **BONÆ FAMÆ.** Quotiescunque muliere, quæ cum Clericis cohabitare permittuntur, sunt aliquo modo suspectæ, non tantum famulæ, sed & si consanguineæ sint, separandæ sunt, & arcendæ ab illorum Domibus, quamvis sint senilis ætatis, Nicol. lucubr. can. lib. 3. tit. 2. de cohab. Cleric. n. 1. Sac. Congr. Episcop. in Seno-

gallen. 15. Febr. & in Ferrariën. 7. Junii 1619. in qua famula erat ætatis annorum 66.

3. **JUSTIS DE CAUSIS.** Licentiæ hæc non est concedenda contra dispositionem Sac. Canonum indiscriminatim omnibus Presbyteris sine delectu, & sine causa, sed tantum prudentiali, & rationabili motivo concurrente, & præcipuè bona, & nunquam interrupta fama honestatis Presbyter licentiæ petentis, & quod alio modo non possit succurri absque gravi incommodo indigentis illius, aliàs enim Episcopus dispensando non esset immunis à culpa, ut monet Concil. Trid. sess. 25. cap. 18. de reform. latè Sperl. decis. 109. per tot.

4. **FIRMA REMANENTE PROHIBITIONE SAC. CANONUM.** Cum Sacri Canonès obligent non solum ad pœnam, sed etiam ad culpam, ut docet Fagnan. in cap. Canonum statuta num. 48. de Constit. ideo Episcopus

pus hic in licentia non dispensat absolute, ut Presbyter, sive Clericus possit cohabitare cum muliere extranea, sed declarat transgressionem in casu sibi proposito, non esse punibilem in foro externo, & illum absolvit à pœna: An autem ita eveniat quoad culpam coram Deo, Clericus simplex, sive Presbyter consulat conscientie suæ: Quod maxime advertere debent Episcopi in expeditione hujusmodi licentiæ.

5. Si autem mulier esset Presbytero conjuncta in gradu consanguinitatis de jure permissio, tunc non videtur imponenda necessitas licentiam impetrandi, etiamsi retineatur cum qualitate famulatus, ut sentiisse videtur *Sacr. Congregat. Concilii in Casenaten. Synodi 26. Februarii, & 26. Martii 1695.* dummodo tamen non sit suspecta, ut jam dixi supra, & in *adnotat. ad Formul. Edicti de Vit. & Honest. Cleric. & declaravit Sacr. Congregat. Deputata in Vigilien. Synodi 20. Maii 1699. ad 16.*

6. GRATIS. Potest Episcopus de jure prohibere Presbyteris, & Clericis ne Domi retineant famulas, nisi fuerint ab ipso approbatæ, & absque sua licentia: Sed hanc concedendo debet illam gratis expedire, ne unquam pusillis occasio detur dubitandi, Sacros Canones cohabitationem mulierum cum Clericis prohibuisse, ut exinde Episcopi quæstum faciant, ut monuit *Sacr. Congreg. Episcoporum. & Regular. Episcopum Bergomensem 22. Novembris 1593.*

Licentiæ Testimonium ferendi in Foro Laicali.

FORMULA III.

SUMMARIUM.

- 1 Clerici non possunt Testimonium judiciale perhibere in foro seculari sine licentia sui Prælati.
- 2 Licentia ferendi Testimonium Clericis conceditur in causis etiam criminalibus, in quibus pœna sanguinis, vel corporis afflictiva non imponitur, quando alii testes haberi non possunt.
- 3 Licentia Episc. removet impedimentum, sed non imponit obligationem.
- 4 Clericus non defert juramentum in manibus Judicis Laici.
- 5 Judex Laicus attentans, quod Clericus juret in suis manibus, potest tanquam usurpator jurisdictionis Ecclesiasticæ puniri.
- 6 Clericus spontè deponens sine licentia coram Judice Laico potest ab Episcopo puniri, sed ejus depositio valida est.
- 7 Amplia in Teste Religioso, nisi pars antea exciperet de defectu licentiæ.
- 8 Depositio Testis Religiosi sine licentia Superioris non probat.  
In Urbe sufficeret licentia Eminentiss. Card. Vic. ibid.
- 9 Licentia Testimonium ferendi in Foro Laicali est gratis expedienda.

Dilecto Nobis in Christo N.

UT Testimonium in Foro seculari in Tribunali N. per acta N. Notarii in Causa vertente inter N. ex una, & N. ex altera parte, civiliter ferre possis, & valeas, dummodo articuli criminalitatem, infamiam, negativam, aut repulsam non contineant, & in manibus Vicarii nostri Generalis, aut alterius personæ Ecclesiasticæ juramentum de veritate dicenda suscipias, tenore præsentum licentiam concedimus. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

AD-

## ADNOTATIONES.

**1 UT TESTIMONIUM IN FORO SÆCULARI.** Prohibitum est de jure Clericis Testimonium judiciale perhibere in foro sæculari sine licentia sui Prælati, c. *Testimonium* 11. quæst. 1. cap. *Super prudentiam*, & c. *Quamquam* 14. quæst. 2. Bellett. *disq. Cleric. part. 1. tit. de Cleric. teste* §. 2. num. 1. in foro autem Ecclesiastico in Civilibus licentia non exigitur.

**2 CIVILITER.** Aliquando non tantum in Civilibus, sed etiam in Criminalibus pro Testimonio ferendo Clericis conceditur licentia, puta ad defensionem rei, vel quando non esset imponenda pena sanguinis, aut alia corporis afflictiva, sed carceris, vel similis, quod verum est, quando alii Testes non adessent, & veritas aliunde haberi non posset; ut explicat Jannuen. *prax. c. 42. n. 1. secundum impress. Neapol. 1602.* & præmissa protestatione c. *Prælati de homic. in 6.* quæ ut tenet D. Raynald. *observ. Crim. tom. 1. cap. 10. n. 8.* requiritur etiam in causis, in quibus pena sanguinis non imponitur.

**3 FERRE POSSIS, ET VALEAS.** Licentia Episcopi removet impedimentum, qua mediante Clerico licet quod prius non licebat, sed non imponit illi obligationem (quatenus nolle) Testimonium ferendi: Quia compulsio Superioris est subsidiaria, & tunc solum Clericus cogitur ad deponendum contra Laicum tam in Civilibus, quam in Criminalibus, quando veritas aliter haberi non posset, ut ex Farinac. *de Test. qu. 61.* tradit Vulpin. *in succo opposit. 12. num. 13.* Jannuen. *ubi sub n. 6.*

**4 AUT ALTERIUS PERSONÆ ECCLESIASTICÆ JURAMENTUM, &c.** Non potest Episcopus permittere, quod Clerici juramentum deferant in manibus Judicis Laici, sed necessario jurare debent in manibus ipsius Episcopi, vel Vicarii, aut alterius personæ Ecclesiasticæ, sive Clerico Teste coram eisdem examinato super articulis, examen illius Judicis Laico remitti, Bellett. *loco super cit. de Cleric. Teste n. 3.*

**5** Aded quod, si Judex Laicus præsumeret hoc attentare, posset, & deberet puniri tanquam violator libertatis, & usurpator jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut pluries censuit Sac. Congr. cujus Decreta congerit de more Pignatell. *consult. 58. num. 4. tom. 2.*

**6 LICENTIAM CONCEDIMUS.** Si Clericus sua sponte, vel etiam coactus coram Judice Laico Testimonium perhiberet, licet (si sponte) puniri posset à suo Episcopo pœna arbitraria, ut dicit Bellett. *disq. Cler. tit. de pœn. Cler. §. 51. n. 14.* ejus tamen depositio valida esset, Bellett. *ubi supra tit. de Cler. Teste §. 2. num. 6.* & Vulpin. *ibid.*

**7** Quod ampliatur in Teste Religioso, qui licet non habeat velle, nec nolle, tamen si juramentum judiciale deferat sine licentia sui Superioris, validum erit Farinac. *de Test. quæst. 61. num. 130.* nisi tamen antequam examinetur pars excipiat, & opponat defectum licentiæ, & oppositione non obstante admittatur examen, tunc enim Testimonium irritum esset, ut distinguit Passerin. *de stat. hom. tom. 2. quæst. 187. art. 2. n. 81. pag. mibi 307.*

**8** Alii verò absolutè tenent Regularium depositionem non valere sine suorum Superiorum licentia, quos refert Bellett. *disquis. Cleric. part. 1. tit. de Cler. Teste §. 2. num. 3.* Novar. *decis. 198. per tot. Rot. decis. 122. num. 18. part. 4. tom. 2. recent.* Et in Urbe saltem de licentia Cardinalis Vicarii in causis Civilibus, ut respondit Sac. Congr. *Immunit. in Romana 4. Septembris 1640. lib. 3. decret. Pauluc. fol. 129. à tergo.*

**9** Licentia autem, quæ per Episcopum Clericis testimonium ferendi in foro Laico conceditur, gratis expedienda est, ut respondit Sac. Congr. *Immunit. in Aquilana 5. Maii 1637. ad 2. lib. 3. decret. Paul. fol. 30. à tergo.*

Licen-

Licentia Exercendi Tutelam.

F O R M U L A IV.

S U M M A R I U M.

1 Clerici si velint possunt Tutelam Consanguineorum usque ad quartum gradum suscipere, immò si renuant cogi.

2 Clerici Tutelam Testamentariam, & Dativam extraneorum exercere non valent nisi pauperum, & miserabilium personarum.  
3 Licentia exercendi Tutelam conceditur sæpè a Papa, vel à Sac. Congregatione.  
4 Clericus exercens Tutelam Testamentariam, vel Dativam sine dispensatione, potest ab Episcopo puniri, sed actus per eum gesti validi sunt.

N. Episcopus N.

Dilectio &amp;c.

CUM tu N. & N. pupillorum uti proximior Tutor legitimus, & à jure datus existas, Tutelam, & Curam eorundem usque dum ad legitimam ætatem pervenerint, suscipere, & gerere, atque omnia, & singula, quæ ad Tutores, & Curatores de jure, usu, vel consuetudine pertinent, facere, & exercere possis, licentiam, & facultatem concedimus; dummodo tamen negociis, personis Ecclesiasticis à jure interdictis, nullatenus te immisceas, sed omninò abstineas. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✕ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1 **TUTOR LEGITIMUS.** Possunt Clerici, si velint, Tutelam legitimam consanguineorum usque ad quartum gradum subire, sed administrationem suscipere non debent, nisi accedente Superioris licentia, Grass. de effect. Cler. effect. 16. n. 19. & 22. immò si renuant, & cogi, ut ex Turrecrem. in c. fin. dist. 86. firmat Passer. de stat. hom. to. 2. q. 187. art. 2. n. 131.

2 Quo verò ad Tutelam Testamentariam, & Dativam extraneorum, Clerici ab Episcopo non dispensantur, nisi pro pupillis pauperibus, aliisque personis miserabilibus, pro quibus quando alius Tutor aptus non posset inveniri, posset etiam cogi: vel nisi Clericus esset datus Tutor in Testamento, cui de jure esset Tutela delata

Grass. ubi supra n. 17. & 24. & cap. ultima. dist. 86. cap. 1. dist. 87. ubi gloss. Surd. decif. 207. n. 23. Bellet. disq. Cler. tit. de discipl. Cler. §. 32. num. 2.

3 **LICENTIAM CONCEDIMUS.** Non solum Episcopus licentiam pro legitima Tutela concedit, sed sæpè expeditur Papæ dispensatio, de qua habetur formula apud Corrad. prax. dispens. lib. 5. c. 4. n. 17. vel etiam frequentius solet obtineri licentia Sac. Congr. Episcoporum & Regular. cujus Formulam dat Nicol. lucubr. civil. lib. 1. tit. 14. & Nicolio non citato transcribit Pignatell. consult. 10. n. 12. tom. 5. & testatur Corrad. ibid. lib. 5. c. 6. n. 39.

4 Quatenus autem Clericus Tutelam Testamentariam, vel Dativam suscipere, & existeret absque dispensatione, posset quidem ab Episcopo puniri, sed actus

actus per eum gesti validi essent : quia de jure canonico , prohibitio agendi non irritat actum , nisi lex prohibens contineat expressè , vel æquivalenter irritationem , ut latè probat Passerin. de elect. cup. 9. q. 1. num. 3. & seqq. & de stat. hom. tom. 2. q. 177. art. 2. num. 129.

Licentiæ Venandi.

FORMULA V.

SUMMARIUM.

- 1 Clerici licita est venatio recreationis gratia.
- 2 Clericis venatio nimis frequens non est de jure permessa.
- 3 Venatio diebus festis , & tempore jejuniorum non est licita.
- 4 Clerici venando non debent habitum deponere.
- 5 Clerici rete , vel laqueo venari possunt , sed non armis .

- 6 Licentia ferendi Sclopus est contra honestatem status Clericalis . Clericis licentia ferendi arma conceditur ad tuendam vitam , vel terrendos latrones , ibid.
- 7 Episcopus non dispensat in jure communi . Adstringitur servare Canones ibid. Non concedit licentiam pro delatione armorum , nisi ad præscriptum S. Canonum.
- 8 Episcopi concedendo licentiam Sclopi venatorii abutuntur potestate .
- 9 Pignatell. reicitur .
- 11 Sclopus est genus armorum aptum ad naturaliter offendendum ,
- 12 Usus deferendi Sclopus quoad Clericos est abusus .
- 13 Concil. Trid. improbat inobservantiam Sac. Canonum , & ad observantiam reduci mandat .
- 14 Quæ sit venatio clamosa .
- 15 Licentia venandi Superioris semper est exigenda .
- 17 Licentia venandi Clericis gratis debet concedi , & n. 18.

**T**ibi , ut moderatè recreationis causa , exceptis diebus festivis , & jejuniorum , & numquam Clericali habitu deposito , absque incurfu pœnarum , & molestia nostræ Curix , laqueo , vel rete venari possis , & exclusa venatione clamosa , & illicita ad nostrum beneplacitum servatis præfatis conditionibus , licentiam pro foro externo gratis concedimus . Datum &c.

N. Episcopus sive Vicarius Generalis N.

Loco ✠ Sigilli .

N. Cancellarius Episcopalis .

ADNOTATIONES .

**M**ODERATÆ RECREATIONIS . Tunc Clericis licitum est venari , si rarè , silentio , & modestia , alicujus utilitatis gratia saltem recreativè fiat , ut bene distinguunt Host. in sum. tit. de Cler. venat. num. 2. & 3. qui sic dicit -- perraro igitur , & ex causa necessitatis , vel utilitatis , saltem recreativè , & non aliter , Clericis licitum est venari , & Bertachin. in repert. verb. venatio vers. 4.

2. Si enim venatio esset nimis frequens

sine ulla necessitate , non esset Clericis licita , quamvis fieret sine strepitu , Menoch. de arbitr. cas. 413. num. 16. Sperell. decis. 124. num. 31. tum quia ratione nimietatis , & modi non esset necessaria , nec honesta : tum quia in nimis frequenti venatione , quæ sine sumptu experi non potest , intervenit malus usus , & abusus reddituum Ecclesiasticorum , ut advertit Passerin. de stat. hom. tom. 2. qu. 187. art. 2. num. 299. circa med.

3. EXCEPTIS DIEBUS FESTIVIS . Ratione temporis non tantum Clericis , sed etiam Laicis est illicita venatio , pu-  
ta

ta Quadragesimæ, & juniorum, quia tunc vacandum est orationibus, non autem voluptatibus, ut ex cap. An pietatis 13. & ex gloss. in cap. Qui venatoribus il. 1. distin. 96. tradunt Host. & Bertac. supra allegati, Add. ad Abb. in cap. 1. de Cler. venator. Ne igitur his diebus Clerici ab Officiis Divinis, & spiritualibus occupationibus avocentur, populoque scandalum præbeant, non est concedenda licentia venandi, Bellett. disq. Cleric. tit. de disciplin. §. 19. num. 7. vers. dummodo.

4 **NUNQUAM CLERICALI HABITU DEPOSITO.** Inconveniens est, quod Clerici habitum deponant, quia illis expressè, & explicitè Canone prohibetur, ut in c. Nullus, c. Episcopi, c. Sine ornatu 21. qu. 4. Conc. Trid. sess. 14. c. 6. de ref.

5 **VENARI POSSIS.** Rete, vel laqueo, non autem armis: Omnes enim DD. qui admittunt Clericis aliquando recreationis gratia licitam esse venationem, intelligunt de venatione, quæ exercetur cum silentio, & sine periculo irregularitatis; quorum aliqui tanquam Canonum Magistri hic recensentur.

Turrecrem. in cap. Quorundam dist. 34. num. 6. sic ait -- alia venatio, quæ fit cum retibus, & laqueis, fortè licita est Clerico, quia non fit cum clamore, nec emittuntur voces -- Et in cap. Qui venatoribus 86. dist. num. 3. in fine -- Venatio cum laqueis, & pedicis, atque retibus, Clericis etiam est licita, & dummodo cum silentio, & modestia fiat.

Hostien. in summ. tit. de Cler. venat. n. 2. -- licet enim Clericis causa necessitatis, utilitatis, vel recreationis, cum retibus, laqueis, & canibus venari, dummodo cum silentio, & modestia fiat.

Abb. in cap. 1. de Cler. venat. n. 1. litt. C. ibi -- quædam verò est venatio, quæ fit cum retibus, seu laqueis, & licita est Clericis, dummodo frequenter non insistant.

Bertachin. repertor. in verb. venatio vers. 3. circa fin. -- quædam est venatio, quæ fit cum rete, seu laqueo, & licita est Clericis, dummodo frequenter non insistant.

Graff. decis. aur. part. 2. lib. 3. cap. 3. num. 9. -- venatio cum laqueis, & pedicis, atque retibus, & canibus, Clericis etiam

est licita, dummodo cum silentio, & modestia fiat.

Silvestr. in summ. verb. venatio -- ponere autem laqueum, vel rete sine strepitu, & clamore, & canibus, licet etiam Clericis.

Sebast. Med. tract. de venat. part. 1. q. 8. num. 18. -- venatio verò, quæ fit cum rete, seu laqueo licita est Clericis, dummodo frequenter non insistant.

Barbos. de jur. Eccles. univers. lib. 1. cap. 44. n. 79. -- postremò Clericis non licet canes habere, vel accipitres ad venandum, nec venationes facere periculosas, seu clamorosas, veluti aprorum, & cum armis.

Dian. part. 3. tract. 6. Miscellan. resol. 19. -- sed ego puto cum Panormitano, venationem Clericis recreationis causa non esse prohibitam, dummodo non sit clamorosa, sed modesta, nempe cum retibus, vel laqueis.

Gonzal. Commentar. in cap. 1. de Cleric. venat. -- venatio sylvatica, aucupativa, saltuosa, de qua in præsentia agitur, est dum armis, canibus, seu avibus, quis animalia terrestria, seu aves aucupatur, & ratio prohibitionis ea est quia plerumque fit armis -- & num. 8. refellendo objectiones firmat, quod venatio hæc in Clericis sit usus improbus.

6 Ex quibus auctoritatibus rectè inferitur, quàm malus sit abusus concedendi Clericis licentiam ferendi Sclopum, & quàm meritò Episcopus id indulgentes carpat Raynald. observat. crimin. tom. 3. cap. 24. §. 1. num. 59. cum sit contra honestatem status Clericalis, & passim concedatur, quod non nisi in casu necessitatis ad tuendam propriam vitam illis concedi debeat, prout esset quando Clerici iter facerent per loca periculosa ad terram dum latrones, vel graves haberent inimicitias; qui sunt casus à jure permisi, ut latè probant Ric. decis. Cur. Archiep. Neap. 256. part. 3. & Sperell. decis. 122. num. 12. 17. 24. 34. & 36.

7 Cæterum si verum est. Primò, quod Episcopus non dispensat in jure communi, ut in puncto delationis armorum communiter tradunt Gloss. in c. 2. de vit. & honestat. Cler. Cler. Grals. de effect. Cler. effect. 20. n. 26. & seqq. Bellett. disq. Cler. tit.



tit. de discipl. §. 18. num. 15. Bonac. de Sac. Ordin. disp. 8. quæst. unic. punct. ult. num. 7. Conciol. resol. Crim. verb. Arma resol. 24. num. 2. & seqq. Secundò, quod Episcopus adstringitur servare Canones, aliàs illos voluntariè violando graviter peccat, glof. in Extravagan. Sancta Romana verb. Concilii Generalis, de Relig. Domib. in 6. cap. Violatores 25. q. 1. & firmant in hac subjecta materia, Sperell. & alii DD. mox laudati. Tertio, quod Episcopus non debet licentiam deferendi arma concedere, nisi ad præscriptum Sacrorum Canonum, ut respondit Sac. Congr. Immunitat. in Carilionen. 2. Julii 1647. his verbis -- *Episcopo licere licentiam concedere Clericis gerendi arma ad præscriptum Sac. Canonum, illaque non posse comprehendendi sub bannimentis Laicalibus lib. 4. Decr. Paul. fol. 14. à tergo.*

8. Sequitur indubitanter, quod Episcopi concedendo licentiam deferendi Sclopum venatorium, non sint immunes à culpa, & ratio ea est, quia potestate, quam dedit illis Deus in ædificationem, in destructionem abutuntur, contra præceptum Apostoli 2. ad Corinth. c. 10. & c. 13. Et sic validè quidem concedere quoad jurisdictionem, sed non licitè quoad causam.

9. Nec est curandum de Pignatell. consult. 59. tom. 3. ubi abufum excusat, & delationem Sclopi venatorii licitam reddere nititur: Quia, vel acta Ecclesiæ Mediolan. Conc. provinc. 1. part. 1. tit. de arm. lud. & spect. pag. 18. ipse non vidit; vel apud Eminentissimos PP. Sac. Congreg. Concilii non studuit: nam in primis hæc habentur -- *idcirco edicimus, ne Clerici arma cujusvis generis ferant, quod si Episcopus probabili, justaque de causa id eis permittendum judicaverit, tunc scripto impetrata venia ipsis uti liceat, non tamen publicè, nisi rei, aut facti necessitas postulet. Omnino balista, hastis, & sclopeto, aliisque hujus generis instrumentis ipsis interdiciamus.* Prout etiam censuit eadem Sac. Congr. in Ostuen. 6. Julii 1697. in qua cum Clerus Terræ Sancti Viti illius Diocesis recursum habuisset ad d. Sac. Congreg. pro moderatione Synodi, in qua inter cætera in Tit. de vit. & honest. Cleric. statutum reperiebatur sic -- *ne quis gestare audeat, seu asferre arma non prohibita offensiva, videlicet, Pisto-*

Monacelli Form. Pars I.

le, Terzette, Archibugi, seu Scopette, Spade &c. & altre armi offensive sub pena exilii ab hac Civitate, & Diocesi per quinquennium &c. & clar. mem. Card. Casanata cui d. Synodus revisio commissæ fuerat, votum dedisset in conceptum -- *Episcopus gratis, & discretè licentiam concedat. facta relatione in plena Congregatione sub d. die prodiit resolutio -- servetur Decretum Synodi, prout jacet.*

10. Apud secundos, in revolutione libellorum Clericorum sæpè recurrentium pro dispensatione ab irregularitate incuria, utpotè quia in explosione Sclopi venatorii, vel oculus Canonis erutus, vel digitus pollex abscissus fuit, & alia deformitas, aut mutilatio membrorum evenit, edocemur, quod talis usus, & permissio est periculis plena.

11. Sitque igitur conclusio, quod cum Clerici delatione Sclopi venatorii præter adjunctam indecentiam exponant se periculo mortis, mutilationis membrorum, & per consequens irregularitatis, quæ est præcipua ratio cur illis arma prohibeantur, nullo modo debent Episcopi talem explicitam licentiam concedere: quia nil refert, quod iste Sclopus non sit ordinatus ad offendendum, sed aucupandum, ut inquit Pignatell. num. 12. Nam ut delatio sit Clericis interdicta, sufficit, quod arma cujusvis generis sint de per se apta naturaliter ad offendendum, prout est Sclopus, Navar. de cens. c. 27. n. 63. Graff. decis. aur. p. 1. l. 4. c. 18. n. 102. Conciol. resol. Crim. verb. Arma resol. 24. num. 2. Zaul. observ. ad Stat. Favent. tom. 1. rubr. 11. lib. 4. n. 8.

12. Nec excusari possunt Episcopi prætextu, quod Canonum rigor abiit in defuetudinem, & contrarius ferè ubique hodie invaluerit usus: quia talia opponentibus aptatur responsio Innoc. III. data Archiepiscopo Turonen. contra Aleatores, qui se excusabant prætextu consuetudinis, in cap. inter dilectos de excess. Prælat. his verbis -- *Nos tamen, qui ex officii nostri debito partes hujusmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuosos occasione quorum, sub quadam Curialitatis imagine, ad dissolutionis materiam devenitur, penitus improbanus excusationem prædictam, quæ per pravam*

N con-

consuetudinem ( quæ corruptela dicenda est ) palliatur, frivolum reputamus, cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis, delinquenti auctoritas usurpatur.

13 Et etiam quia talis excusatio improbat hodie à Sac. Concilio Trid. sess. 22. de Reform. cap. 1. his verbis -- statuit Sancta Synodus, ut quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à Sac. Conc. de Clericorum vita: honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commexationibus, choreis, aleis, lufibus, ac quibuscumque criminibus, necnon secularibus negotiis fugendis, copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. Si qua verò ex eis in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindicè pœnas persolvant. Cogitent igitur Episcopi, an in die iræ Domini, in qua iudicium durissimum de his, præsumt, fient, Sapient. 6. poterunt excusari.

14 CLAMOSIA, ET ILLICITA. Venatio, quæ fit Canibus, & Falconibus propriis ex voluptate, dicitur clamosa, & illicita cap. 1. & 2. de Cler. Venat. Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. Difficile etenim est, quod hæc non sit illicita Clericis, si Canes, qui ad venandum retinentur, ex bonis Ecclesiæ nutriantur: nam cum bona Clericorum sint pauperum, aut Ecclesiæ, & consumi non possint nisi in usus pios, non erit piaculum leve si comedant bestiarum, quod Christi pauperes alere deberet, Passerin. de stat. hom. tom. 2. qu. 187. art. 2. num. 293. ubi expendit textum Evangelii Matth. 15. non est bonum sumere panem filiorum, dare Canibus.

15 LICENTIAM. Quamvis venatio, quæ fit retibus, vel laqueo moderatè, sit permiffa etiam Clericis, adhuc exigitur licentia, quia tunc causa rationalis excusat, quando fit de licentia superioris, ad quem pertinet distinguere inter casum licitum, & illicitum, cap. Consilium versic. potes, & debes de observat. jejun. Graff. dec. aur. par. 2. lib. 3. c. 17. n. 14.

16. PRO FORO EXTERNO. Quia Clerici sæpè abutuntur licentia, & se continere nesciunt intra limites moderatæ recreationis, idè Episcopus promittit, Fiscum molestias non esse illaturum in foro externo; quo verò ad illorum excessum coram Deo, se participem fieri nolle declarat.

17 GRATIS CONCEDIMUS. Licentia pro venatione licita, gratis concedenda est, neque pecunia exigenda; quoniam si maximus abusus est, & eliminandus, licentias concedendi Clericis ferendi arma, res reprehensione magis digna est, & excusationis expers, quod concedantur ad quæstum faciendum.

18 Abstineant ergo Episcopi, aliive Prælati inferiores ab hac praxi arma Clericis concedendi, quæ passim calcant disciplinam, dignitatem, & sanctitatem Ordinis Clericatus, nulli in hoc occasionem offensionis dantes, ne vituperetur eorum ministerium, populique eorum Cura commiffi (quia fragiles sunt, & inconstantes) quod quid eos in opere vident adimplere, credat esse licitum, & culpa carere; aliive, qui foris sunt, obloquentur Sacrorum Canonum sanctissimas Constitutiones esse majorum Presbyterorum purum oommentum ad scaptandum lucrum inventas: meminereque, quod argentum, & aurum non poterit liberare eos in die iræ Domini, juxta infallibile Sophoniæ vaticinium, cap. 1. & quod non est Deus quasi homo ut mentiat, ne ut filius hominis ut mutetur, Num. 23. Pascant igitur ut imperat Petrus epist. 1. cap. 5. gregem secundum Deum non turpis lucri gratia, sed voluntariè, cap. sunt in Ecclesia 1. q. 1.

Licentiæ eleemosynas colligendi.

#### FORMULA VI.

#### SUMMARIUM.

- 1 Collectores eleemosynarum debent esse honestæ vitæ.
- 2 Licentia eleemosynas colligendi datur non solum Hospitalibus sed etiam Confraternitatibus.

- |  |   |
|--|---|
| <p>3 Licentia colligendi eleemosynas non conceditur Confraternitatibus, quæ propriis redditibus opera adimplere possunt.</p> <p>4 Licentia queritandi eleemosynas per se ipsas non conceditur mulieribus conservatori.</p> <p>5 Questores eleemosynarum modo improbo, puniuntur ab Episcopo, quamvis sint Laici, &amp; exempti.</p> <p>6 Collector eleemosynarum non debet de illis participare.</p> | <p>7 Solus Episcopus concedit licentias eleemosynas queritandi.</p> <p>8 Episcopus potest prohibere etiam mendicantibus ne querant eleemosynas, nisi licentia Superiorum per eum recognita, &amp; approbata.</p> <p>9 Pasqualig. ad contr. de Franc. rejicitur.</p> <p>10 Episcopus potest prohibere Regularibus ne eleemosynas querant per alios, quam sui Ordinis Religiosos.</p> <p>11 Declaratur Decretum Sac. Congreg. Concilii.</p> |
|--|---|

N. Episcopus N.

**U**T tu, qui honestæ vitæ, probatæque pietatis existis, & ab Officialibus Hospitalis N. in quo Hospitalitas exercetur, deputatus fuisti, cum ad sustentationem confluentium peregrinorum (vel infirmorum) propriæ non suppetant facultates (si erit Confraternitas, dicatur – attentis piis operibus, quæ dicta sodalitas exercet, quorum manutentioni, & adimplemento, propriæ non suppetunt facultates, & aliundè succurri non valet) eleemosynas, & grata charitatis subsidia per totam nostram Diocesim modestè, & sine fraude, & dummodo indulgentias non publicas, Imagines Sacras, seu Reliquias non circumferas, aliove modo improbo non extorqueas, nec de illis ullo modo participes, sed in usum dictorum piorum operum integrè convertantur (de quo Nobis Officiales in visitatione, & extra constare facient) perquirere, & colligere valeas, licentiam ad... duraturam gratis concedimus. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus sive Vicarius Generalis N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

**1 HONESTÆ VITÆ.** Primum requisitum personæ, cui committitur eleemosynarum collectio, est morum honestas: Aliæ autem conditiones, quæ in Formula exprimentur, sunt eadem, quæ continentur in Decreto Sacræ Congregationis Concilii super hac re emanato, ad cap. 9. sess. 21. de Reform. quod per extensum refert Gallemart. *ibidem*, & Nicol. lucub. Can. lib. 5. tit. 39. de sent. excomm. nu. 171. vers. Confraternitatibus verò, ac Gavant. in Manual. Episcoporum verb. questores nu. 8.

**2 IN QUO HOSPITALITAS EXERCETUR.** Quamvis regulariter

licentia eleemosynas colligendi detur solum Hospitalibus, in quibus actu hospitalitas exercetur, vel Infirmi curantur, per ea, quæ tradit Fagnan. in cap. cum ex eo num. 21. & seq. de pœnit. & remis. Hodiè tamen ubique Confraternitatibus aliisque locis piis exercentibus opera pietatis, & quæ propriis introitibus illis satisfacere non valent, conceditur, cum obligatione tamen, ut in operibus piis juxtà proprium institutum integrè eleemosynæ erogentur, & ratio Episcopo reddatur, Nicol. loco mox allegato.

**3 PROPRIÆ NON SUPPETANT FACULTATES.** Quando loca pia, & Confraternitates (exceptis Hospitalibus hospitalitarem exercentibus,

N 2 vel

vel infirmos curantibus) possent onera illis incumbentia adimplere, & satisfacere propriis redditibus, licentia eleemosynas quæritandi non esset concedenda: quia finis principalis talis permissionis est, ut inopiæ petentium consulatur, sicuti expressè cavetur *in cap. Cum ex eo de penit. & remiss.* Aliàs verè indigentibus hoc charitatis præsidium subtraheretur, & qui fidei paupertate eleemosynas subtraxisset, ad restitutionem teneretur, *Amostaz. de caus. piis lib. 7. cap. 12. n. 19. & 25.*

4. Quòd, si inter loca pia Civitatis, vel Diœcesis indigentia, connumeretur aliquod conservatorium Virginum, aut mulierum penitentium, permitti non debet, quod per se ipsas eleemosynas quærant: quia mulierum vagatio discrimini- bus plena est, & earum fragilitas, & conditio eò periculosior fit quò liberior. Undè his permotus Gregor. XIII. *sua Constit. impressa in Bullar. novo tom. 2. la 8.* iussit quod eleemosynæ pro Monasteriis Monialium indigentium, non amplius per mulieres conversas, etiam non professas colligerentur, sed per deputatos ab Ordinariis locorum, ut pericula violandæ honestatis tollerentur, ut benè etiam observat *Tambur. de jur. Abbatiss. disp. 18. q. 2. n. 4.*

5. **MODO IMPROBO.** Puta minis, vel imprecationibus, benedictione animalium, orationibus Sanctorum ad placitum inventis, & compositis, distributione Imaginum, aut numismatum sacrarum, offensione privilegiorum. Si quos autem uno, vel altero ex prædictis modis, vel arte inveniat eleemosynas ex torquere, & licentia abuti, negociaque gerere, ut quæstum faciant; in eos Episcopus severè animadvertat, quamvis Laicos, & exemptos; quia potest carcere, exilio, ac etiam excommunicatione illos punire, *Clem. fin. §. Quæstores de penit. & remiss. Barbof. de Offic. Episcop. allegat. 109. numer. 12. Bellet. disquis. Cler. part. 1. tit. de favor. real. §. 5. numer. 96. Gavant. Manual. Episcop. verb. Quæstores num. 7. Nicol. in fosc. eodem verb. n. 2. & seqq.*

6. **ULLO MODO PARTICIPES.** Collector eleemosynarum non debet de il-

lis participare, ut prohibet Decretum Sacr. Congreg. Concilii, quod refert *Fagnan. in dicto cap. Cum ex eo numer. 22. de penit. & remiss.* sed aliundè illi stipendium aliquod honestum constitui debet; quatenus aliquis, qui velit suo incommodo, & expensis amore Dei hoc charitatis officium gratis impendere, non inveniatur.

7. **LICENTIAM CONCEDIMUS.** Solus Episcopus concedit licentias eleemosynas quæritandi; nec iudex, nec Magistratus, Gubernator, aut Princeps Laicus potest in hoc se ingerere, ut respondit, *Sacr. Congr. Episcop. & Regul. in Papien. 8. Novembr. 1619. & altera Concilii apud Nicol. in fosc. verb. Quæstor n. 1.*

8. Pro Regularibus verò Mendicantibus, quamvis pro Conventibus in Diœcesi existentibus licentia huiusmodi non requiratur, *Sacr. Congr. Episcop. in Casalen. 6. Octobris 1598.* Nihilominus, quia Regulares bona possidentes in communi, qui gaudent privilegio mendicantium, aliquando pauperes verè non sunt, sed possunt redditibus Conventus congruè sustentari, utpotè quia exiguus est numerus: ne eleemosynæ subtrahantur verè indigentibus, poterit Episcopus edicto, alio- vè modo prohibere, ne quis Religiosus eleemosynam quærat, aut petat, nisi licentia suorum superiorum obtenta exhibeatur priùs, & ab eodem Episcopo subscriptione approbetur: Et quatenus prohibitionem Episcopi huiusmodi Regulares contemnerent, carceribus eos mancipare, ut docet *Januen. in prax. capit. 57. num. 11. secundam impress. Neapol. 1662. quem sequuntur Sperell. decis. 38. num. 28. & 29. Lauret. de Franch. contro. part. 1. num. 131.*

9. Contrà quos licèt insurgat pro tuitione privilegiorum regularium, ut sæpè solet Pasqualig. *ad eundem de Franch. n. 132.* Adhuc quia iste auctor nimis fidenter in suo dicto causam propriam agendo solitarius remanet, non est curandum de illius opinione, sed tenenda est sententia *Januensis*, quam (magis veritati proximam) amplectitur illius Auctor Regularis, *Donat. prax. rer. regul. tom. 1. tit. de*

de exempt. regular. tract. 13. quest. 32. num.  
15. in fin.

10. Et non solum potest Episcopus hoc Regularibus prohibere, ne privilegio Mendicantium fraude abutantur: Sed inhibere, ut eleemosynas non quærant per alios, quàm sui Ordinis Religiosos, vel Oblatos, prout pluries Sac. Congr. Concilii declaravit teste Fagnan. in cap. Tuorum n. 3. de privileg. & in dicio cap. Cum ex eo n. 30. vers. itaque de poenit. & remiss. Nicol. lucubr. Can. lib. 5. tit. 39. n. 171. vers. Item nullibi, ubi quod in hoc dispensari non possit, nisi si licentia specialis Papæ concurrat, & a legat aliud Decretum.

11. Verùm cum PP. Augustiniani Terræ Mondulphi Senogallien. Diœcesis opponente Capitulo Collegiatæ dicti loci proponi curassent in Sac. Congr. Episcoporum, & Regularium Dubium -- An ipsi PP. competeret jus quæstuandi in Terra, & Territorio Mondulphi, die 17. Januarii 1692. ad relationem Eminentissimi Card. de Abdua prodit rescriptum -- Possent Regulares Mendicantes quæstare per se ipsos, & ad suam utilitatem: Per seculares autem non posse, nisi de licentia Episcopi.

12. Decretum igitur allegatum à Nicolio quo prohibetur, quod non possint Regulares dispensari, ut per alios eleemosynas quærant, nisi per Papam, videtur intelligendum universaliter; non autem localiter pro aliquo Conventu, causa rationabili concurrente, ad evitandam contrarietatem: Vel melius dicas illud intelligi debere de Regularibus Mendicantibus, qui de vera mendicitate vivunt; hoc verò secundum de Mendicantibus capacibus bonorum, & reddituum.

Licentiæ exhumandi Cadaver.

FORMULA VII.

S Y M M A R I V M.

- 1 Licentia exhumandi Cadavera Clericorum pro recognitione corporis delicti est impetranda à Sac. Congregatione immunitatis.
- 2 Licentia exhumandi corpora Laicorum pro recognitione corporis delicti conceditur à solo Episcopo, quamvis reperiantur sepulta in Ecclesiis Regularium.
- 3 Licentia exhumandi Cadavera pro recognitione facienda potest ab Episcopo absolutè denegari.
- 4 Protestatio contenta in licentia Episcopi, contenta juxta dispositionem Text. in cap. Prælati de homicid. in sexto, fit ad cautelam, non ex necessitate.
- 5 Episcopus juxta opinionem D. Raynald. potest concedere licentiam, ut recognitio fiat in loco immuni non sacro.
- 6 Episcopus non potest dare licentiam Judici Laico, ut recognitio corporis delicti fiat in loco immuni, & contra sententiam Raynald. afferuntur Decreta Sac. Congregat. & n. 7. 8. & 9.
- 10 Licentia, quæ conceditur jure delegato examinandi testes in loco immuni fit cum clausula -- Dummodò vulnerator spontè se supponat examini.
- 11 Recognitio corporis delicti in persona Religiosi potest fieri à Curia Episcopali.

N. Episcopus N.

Dilecto N. Parocho Ecclesiæ N.

EXpositum Nobis fuit ex parte N. Judicis Sæcularis in præfata Ecclesia fuisse diebus elapsis tumulatum Cadaver cujusdam N. Laici violentè occisi, & pro justitiæ complemento expedire, ut illud recognoscatur, & ided petiit per Nos licentiam concedi. Nos petitioni hujusmodi in hoc casu inclinati præmissa

Monacelli Form. Pars I.

N 3 pro-

protestatione, quod per hoc non intendimus contra reum ad pœnam sanguinis deveniri, dicto D. Judici Cadaver exhumandi, informationemque pro delicto in genere cum illius inspectione, & recognitione assumendi, Tibique exhumationi prædictæ consentiendi, dummodò dictum Cadaver extra dictam Ecclesiam, & locum immunem ad prædictum effectum extrahatur, & denuò tumultetur, licentiam concedimus, & impertimur. In quorum &c.

N. Episcopus N. (sive Vicarius Generalis)

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **CUJUSDAM N. LAICI.** Si enim Cadaver occisi esset personæ Ecclesiasticæ, licentia pro recognitione faciendæ corporis delicti, esset impetrandæ à Sacra Congregatione Immunitatis, juxtà distinctionem, quam faciunt Decreta, quæ refert Pignatell. *consult. 122. num. 4. tom. 4.* & reassumit Raynald. *obser. Crim. tom. 1. c. 1. §. 11. n. 45.*

2. **PER NOS LICENTIAM CONCEDI.** Solus Episcopus, sive ejus Vicarius Generalis licentiam exhumandi Cadavera Laicorum pro recognitione faciendæ concedit, etiã si fuerint sepulta in Ecclesiis Regularium, Januen. *prax. cap. 41. n. 10.* Bellet. *disq. Cler. par. 1. tit. 1. §. 5. n. 148. & 149.* Samuel. *de sepult. tract. 1. disp. 4. contr. 13. n. 23.* ubi Decretum Sac. Congr. per extensum refert, Raynald. *dicto cap. 1. §. 11. n. 26.* Sac. Congr. *Immunitatis 8. Augusti 1645. infra referendo.*

3. **IN HOC CASU INCLINATI.** Potest Episcopus, si ita sibi expedire videatur ad evitandum aliquod inconueniens, licentiam absolute denegare, Sperell. *decis. 51. n. 17. resol. Crimin. verb. recognitio resol. 2. n. 3.* quos rejecto Januensi sequitur Raynald. *ubi supra dicto n. 35.*

4. **PRÆMISSA PROTESTATIONE,** juxtà dispositionem *cap. Prælati de homic. in sexto,* & hoc fit ad cauthelam, non autem de necessitate, ut aliis adductis advertit D. Raynald. *ibid. n. 36.*

5. **EXTRA DICTAM ECCLESIAM, ET LOCUM IMMUNEM.** Quia in hac

re auctores Criminalistæ variè, & nimis confusè loquuntur, curavit illos conciliare, & ad concordiam reducere Raynald. *in dicto cap. 1. §. 11. num. 25. & seqq.* qui firmare videtur, Episcopum permittere posse Judici Laico, ut recognitionem Cadaveris faciat in loco immuni non sacro, & allegat pro se Decreta Sacre Congregationis Immunit. *in Syppontina 12. Maii 1604. & in alia 2. Martii 1639.* necnon Sperell. & Conciol.

6. At contra hunc D. Raynald. assertum (ni fallor) urget posterius Decretum ejusdem Sac. Congreg. *Immunit. in Maceraten. 8. Augusti 1645.* de quo ipse nullam mentionem facit, quia fortè non vidit, quod ex originali registro depromptum hic per extensum referam. Præposito jussu Sanctissimi D. N. iterum dubio, videlicet *— An Episcopi possint, & debeant concedere Judicibus Laicis ad effectum recognitionis, & probationis corporis delicti facultatem exhumandi Cadavera, examinandi vulneratos, testes, & similes in Ecclesiis, & aliis locis immunibus, & an id sit permissum facere Superioribus Regularibus in Ecclesiis, & locis immunibus Ordinum Regularium.*

Die 8. Augusti 1645. Sacra &c. prævia matura discussione, & de communi PP. consensu, censuit standum esse in decis. sub die 2. Maii 1629. Scilicet Episcopos posse corpora exhumanda, vulneratos, & testes extrahere facere extra Ecclesias, & loca immunita ad effectum recognitionis, & probationis corporis delicti per Judices, & Ministros Laicos facien. pro eorumdem Episcoporum arbitria recte tamen regulato:

Non

Non autem posse facultatem concedere eisdem Judicibus, & Ministris Laicis in Ecclesiis, & aliis locis immunibus actum aliquem recognitionis Cadaverum, seu examinis vulneratorum, & testium, nisi in casu urgentis necessitatis, quando Summus Pontifex commode adiri non potest; ideoque pro eorundem Episcoporum arbitrio rectè tamen regulato. Superioribus verò Regularium minimè licere etiam in Ecclesiis, & locis immunibus ipsorum Regularium, sed id ad solos Episcopos spectare. Lib. 1. Decret. Pauluc. fol. 259. & simile huic assert aliud Panimol. decis. 95. adnot. 1. num. 22.

7. Juxtà hujus igitur individui Decreti lecturam, prohibitio, quæ de jure viget adversus Judices Laicos exercendi jurisdictionem in locis immunibus absque facultate Sedis Apostolicæ, non solum comprehendit Ecclesias, & Cæmeteria, ad quæ illam restringit D. Raynald. sed etiam alia loca immunia non sacra, quia verba illa --In Ecclesiis, & aliis locis immunibus, in Decreto contenta, restrictionem Raynaldi non patiuntur tamquam indefinita, & loca quomodocumque immunia includentia, propter dictionem illam aliis, cujus indoles est denotare diversitatem ab antecedenter expressis, cum sit nota similitudinis: Simile enim non est idem, ut eadem dictione perpena firmavit Rot. coram Cerro dec. 616. n. 5. & 6. ac reperi declarasse eandem Sac. Congr. Immunit. in una Anagnina 21. Januarii 1659. in qua dicitur--Moneatur Episcopus, ipsum non potuisse dare licentiam faciendi recognitionem, & examinandi testes in loco immuni. Lib. Decret. Rocii fol. 146.

8. Et huc colliminat aliud Decretum Sac. Congr. Episcop. & Regular. emanatum in Bononien. 20. Maii 1616. in quo Cardinali Capponio ita responsum datur --Cum ministri Illustrissimi Domini Card. Capponii quemdam vulneratum à Conventu Sancti Jacobi Fratrum Ordin. Sancti Augustini, in quo se receperat, extrahi, carcerari, examinarique fecissent -- Sac. Congr. eundem Illustriss. monitum voluit, quod facultates extrahendi delinquentes ab Ecclesiis, & Monasteriis per Sanctissimum sibi concessæ non se extendunt ad illos, qui in dictis Ecclesiis se recipiunt, & in quorum

personas delicta perpetrata fuere.

9. Ex quo Decreto clarè percipitur, quòd facultas, quæ datur à Sede Apostolica exercendi actus jurisdictionales in locis immunibus, non restringitur ad sola loca sacra, sed complectitur Monasteria, quæ sunt ratione annexionis immunia, in quibus Episcopus non dispensat.

10. Cauti propterea legendi sunt, Nicol. lucub. civil. lib. 1. tit. 8. de immunit. Eccles. num. 37. vers. hinc est, Pignatell. cons. 122. num. 4. tom. 4. Conciol. res. crim. verb. recognitio resol. 2. num. 5. tenentes cum Raynald. posse per Judices Laicos de sola licentia Episcopi recognitiones Cadaverum fieri, & vulneratorum, ac testium examen recipi in loco immuni non sacro: Nam eorum opinio non est tuta, sed opposita Decretis suprà relatis.

11. Quando verò licentia exhumandi, aut extrahendi, vel examinandi daretur ab Episcopo Judici Laico, vigore commissionis obtentæ à Sac. Congr. Immunit. (quæ passim solet concedere pro octo casibus) tunc si est pro examine, ad datur in licentia clausula--Dummodo vulneratus sponte se supponat examini, ne Judex Laicus videatur uti jurisdictione contentiosa in loco immuni: Et si vulneratus, aut offensus esset Regularis, qui existeret in Monasterio; tunc recognitio fieri poterit à Curia Episcopali, prout fieri jussit Sac. Congr. immunit. in Burgi S. Sepulchri 13. Novembris 1629. lib. 2. Decret. Pauluc. fol. 12. tergo.

Licentiæ extrahendi Delinquentem, à loco immuni.

#### FORMULA VIII.

#### SUMMARIUM.

- 1 Licentia extrahendi delinquentem à loco immuni, non debet ab Episcopo concedi, nisi constituto aliquo modo de delicto excepto.
- 2 Licentia extrahendi à loco immuni in

- casibus à Bulla Gregor. XIV. non exceptis, dari non potest ab Episcopo, sive reus sit Laicus, sive Clericus.
- Parochus repertus in Domo Parochiali cum Concubina potest extrahi, & ab Episcopo puniri.
- 3 An Episcopus possit licentiam concedere pro extractione delinquentium à Palatio Episcopali, refertur casus decisus à Sac. Congr. Immunit. & num. 4. & 5.
- 6 Extractus à loco immuni debet retineri in Carceribus Episcopi, vel Laicalibus (si magis tuti sint) precario nomine ejusdem.
- 7 Delinquentes non sunt custodiendi in

- compediibus in Ecclesia.
- Episcopus non potest licentiam concedere ut extrahantur à loco immuni bona, que secum transiit confuga, sed est recurrendum ad Sac. Congr. Immunit.
- 8 Ad privandum delinquentem immunitate Ecclesiastica, requiritur plena probatio, & Episcopus, si vult potest uti Processu Judicis Laici.
- 9 Extractio delinquentis à loco immuni debet fieri cum interventu persone Ecclesiasticae.
- 10 Extractio delinquentium à loco immuni solis Episcopis est permessa, non autem inferioribus, immò neque Legatis Apostolicis.

N. Episcopus N.

**U**T N. qui ex causa homicidii proditorii, prout fuit expositum, & Nobis extrajudicialiter constat, in personam N. commissi ad Ecclesiam N. confugit, exinde extrahi, & ad nostros carceres perducere, & ibi retineri possit, donec per Nos cognoscatur, an verè crimen à Bulla Gregor. XIV. exceptum commiserit, curiae N. cum interventu, & assistentia Presbyteri N. cui auctoritatem damus, licentiam concedimus. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N. sive Vicarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1 **P**ROUT FUIT EXPOSITUM, ET NOBIS EXTRAJUDICIALITER CONSTAT. Non debet Episcopus improvida festinatione extractionem delinquentis à loco immuni permittere, nisi prius per expositionem Fiscii Laici, vel partis læsæ, aut alio modo saltem extrajudiciali, arbitrio conscientiae suae regulato, sibi constet confugam aliquod ex delictis exceptis in Bulla Gregorii commisisse, ut respondit Sac. Congr. Immunit. in Meleuitana 15. Junii 1638. & docent Spereil. decis. 104. num. 22. Nicol. lucub. Civil. lib. 1. cap. 8. de immun. Eccles. n. 36. vers. notandum.

2. AD ECCLESIAM N. CONFUGIT.

In aliis casibus à Bulla Gregoriana non exceptis, communis conclusio est inter Auctores Catholicos, quod extractio confugientium ad Ecclesias, & loca immunia, fieri non potest, neque de licentia Episcopi, qui talem potestatem non habet, Sac. Congr. Immunit. in Vallisoletana 19. Maii 1627. lib. 1. Decr. Paul. fol. 49. si ve delinquens sit Clericus, sive Laicus, & si extractio fiat pro correctione, si ve pro injungenda poenitentia salutari, ut fuit supra probatum in Adnot. ad For. Edicti de rever. Eccles. debet. §. Non si eseguiscano citationi cum seq. Nisi ageretur de Parocho reperto cum Concubina in Domo Parochiali, à qua potest extrahi, & puniri ab Episcopo, Sac. Congr. Immunit. in Interamnen. 27. Martii 1640. lib. 3. Decr. Paul. fol. 114.

Et in



Et in Aretina 31. Augusti 1649. lib. 4. Paul. fol. 86. Raynald. observ. Crimin. tom. 1. cap. 1. §. 11. num. 53.

An autem id procedat in Palatio Episcopi, quod gaudet immunitate, casus evenit disputandus in una Æsina, in qua cum quaereretur, an captura per me (in dicta Civitate munere Vicarii Generalis fungente) demandata, & exequuta in gradibus Palatii Episcopalis Presbyteri N. ex-teri, (qui ob sacrilegum ingressum in Monasterium Monialium alterius Diœcesis, per Curiam Episcopalem illius litteris subsidiariis, mihi directis, persequeretur) nullitatem allegantis, sustineretur? Et pro veritate scribente R. P. D. Masserio tunc in Curia eximio Advocato, Sac. Congreg. Immunit. 2. Octob. 1691. rescripsit -- Capturam in casu proposito sustineri.

4. Ratio præcipua resolutionis fuit, non solum quia viget in dicta Civitate consuetudo capiendi reos de mandato Episcopi, vel Vicarii in causis ad forum Ecclesiasticum spectantibus in recinctu, seu Cortile Palatii Episcopalis: sed ex eo, quod immunitas hæc competat ratione Dignitatis, & dicatur mixta, veluti connexa loco propter personam ipsius Episcopi. & ob ejus reverentiam: Ac propterea nil obstare visum fuit, quin Episcopus hoc jus reverentiale sibi debitum, remittere non possit, præsertim in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, ut præfatus R. P. D. Masserius in sua allegatione juris firmabat auctoritate Bajard. ad Clar. §. fin. quæst. 30. n. 10. Cortiad. decis. 59. n. 16. & 17. Del Ben. de Immunit. tom. 2. cap. 16. dub. 9. sect. 14. n. 6. & 13. Dian. ordin. tom. 9. tract. 1. de immun. resol. 16. 17. 19. & 20. Pignatell. consult. 36. n. 16. in fin.

5. Verumtamen hæc resolutio regulam generalem absolutam constituere non valet, quod nempe Episcopus possit quoties sibi placeat, jus reverentiale sibi debitum renunciare, & extractionem e Palatio Episcopali delinquentium permittere; sed ubi adfit consuetudo, ut in casu proposito, & supra resolutio, vel ubi delinquens in Palatio Episcopi reperiatur non ut confuga, ut privilegio gaudeat, sed incidenter pro alia causa; vel demùm, si extractio fiat pro correctione, sive fa-

lutari poenitentia imponenda in delictis levibus; & ided dicitur in rescripto -- Capturam sustineri in casu proposito, juxta distinctionem Dec. relatam ab Ambrosin. de immunit. Eccles. cap. 12. n. 4.

6. AD NOSTROS CARCERES. Extractus à loco immuni debet retineri in Carceribus Episcopi juxta præscriptum Gregorianæ §. 5. Qui si non essent tuti, & firmi, tunc pro assecuratione personæ, vel ipsamet Ecclesia, in qua delinquens confugit, à Custodibus fisci erit custodienda; vel reus erit seponendus in Carceribus Laicalibus, utpotè magis tutis precario tamen nomine Episcopi, ejusque liberæ dispositioni, ac si essent Carceres proprii juxta loci qualitatem, donec cognitum fuerit, an delinquens gaudeat immunitate, ad tradita per Card. de Luc. Miscellan. disc. 2. n. 12. Panimol. decis. 95. adnot. 1. n. 10.

7. Et licet plures DD. admittant (& nonnulli Judices, & Episcopi ad praxim deduxerint) quod ad præcavendum fugæ delinquentis, possit custodiri in Ecclesia etiam in compedibus: Tamen Sac. Congregat. Immunit. in una Caven. 8. Februar. 1639. declaravit hanc praxim non esse bonam. Si autem agatur de extractione faciendâ à loco immuni bonorum, quæ secum transfulit confuga, Episcopus sine facultate dictæ Congregationis licentiam dare nequit, Sac. Congreg. Immunit. in Neritonen. 17. Januarii 1628. libr. 1. Decret. Paul. fol. 80. & probat Panimol. decis. 39. num. 50. & sequentib. & decis. 95. adnot. 1. num. 15. & 18. ubi plures alias resolutiones dict. Sac. Congregat. refert Pignatell. consult. 167. num. 6. tom. 1.

8. PER NOS COGNOSCATUR. Cognitione judiciali, non autem extrajudiciali, vel contumaciali, quia ad privandum delinquentem privilegio immunitatis, requiritur concludens, & plena probatio, Sperell. decis. 101. num. 17. Nicol. lucubr. Civil. lib. 1. cap. 8. de Immunit. Eccles. num. 36. vers. Ad consignandum, Pignatell. consult. 37. num. 12. tom. 2. consult. 28. num. 7. & seqq. tom. 6. & consult. 22. num. 26. tom. 10. in quibus quamplura Decreta Congregat. congerit de mo-

more, & plenè quoque tradit Panimol. *decif. 56. & decif. 85.* Ad quem effectum poterit iudex Ecclesiasticus, si velit, uti Processu Tribunalis Laicalis, fabricato ante confugium, ut respondit *Sac. Congr. Immunit. in Syracusana 16. Julii 1629. lib. 1. Decret. Paul. fol. 8. à tergo, & Sacr. Congreg. Episcop. Episcopo Messanen. 4. Maii 1604.* quamquam non cogatur.

6 CUM INTERVENTU, ET ASSISTENTIA PRESBYTERI. Pœnas in Gregoriana comminatas Episcopus incureret, si licentiam extrahendi delinquentes à loco immuni concederet absque deputatione personæ Ecclesiasticæ, ut notat Nicol. ubi *suprà dicto num. 36. vers. si tamen.*

10. Quæ extractio permessa est solis Episcopis, non autem inferioribus, ut deelaravit *Sac. Congreg. Immunit. in Nullius Orbitelli 23. Martii 1638. lib. 3. Dec. Paul. fol. 57. à tergo, inuò neque Legatis Apostolicis, eadem Sac. Congreg. in Bononien. 19. Augusti 1630. & 8. Aprilis 1631. lib. 2. Decret. Paul. fol. 101. à tergo.*

Licentiæ acceptandi onera  
Missarum.

FORMULA IX.  
SUMMARIUM.

- 1 Quando legatum missarum non est fructiferum, Legatarius non tenetur de proprio onus adimplere.
- 2 Et idem est, quando sine culpa Legatarii fructus exigi non possent, vel perirent.
- 3 Legatum animalium cum onere Missarum, debet vendi, & pretium investiri in bonis stabilibus.
- 4 Licentia acceptandi onera Missarum debet peti, & recipi ab Episcopo in scriptis sub pœna interdicti, non obstante contraria consuetudine. Legati acceptatio sine licentia est valida, & obligat ad adimplementum.
- 5 Licentia in scriptis non exigitur de substantia actus.
- 6 Licentia non requiritur pro oneribus Missarum relictis ad tempus.
- 7 Episcopus in prima oneris Missarum acceptatione, potest Missas reducere, quatenus redditus inveniatur oneribus non respondere, & n. 8.
- 9 Episcopus potest reducere Missas, quando Testator illi facultatem dedit in Testamento.

N. Episcopus N.

**A**Ttentis narratis in supradicto supplici libello Nobis exhibito, & confitio per legitimas probationes, redditus Capitalis relictis per quondam N. esse correspondentes oneri suscipiendo Missarum, & Oratorem (seu Oratricem Ecclesiam) aliis jam susceptis commodè satisfacere posse ad formam Decretor. Sac. Cong. Concil. auctoritate fel. rec. Urbani VIII. editorum, & à fel. rec. Innoc. XII. de anno 1697. innovatorum (si legatum consistat in pecunia, dicatur -- in iuncto tamen Oratrici onere quamprimum dicta scuta .... investiendi in bonis stabilibus fructiferis, tutis, & securis, cum expressa mentione oneris Missarum, quod illis annexum reperitur, & interim deponatur penès ædem sacram sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ) petitam licentiam, legatum perpetuum prædictum acceptandi cum onere Missarum .... in qualibet hebdomada in eadem Ecclesia N. & ad Altare N. celebrandarum juxta mentem Testatoris, concedimus, & imperimur, cum obligatione eandem licentiam in Archivio dictæ Ecclesiæ retinendi, & nostro Cancellario unà cum supplici libello in actis registrandi. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus, sive Vicarius Gener.  
Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

AD-

## ADNOTATIONES.

**R**EDDITUS CAPITALIS. Si legatum relictum cum onere Missarum consisteret in pecunia in capsa retenta, per hæredem legantis solvenda; donec non sequatur in vestimentum in bonis frugiferis, Ecclesia, sive alius locus pius, cui onus inunctum fuit Missarum, non tenetur ex propriis aliis redditibus Missas celebrari facere, ut decisum fuisse à Sac. Congr. Concilii 15. Septembr. 1657. testatur Nicol. Lucubr. can. in Addit. ad flos. verb. Missa sub nu. 10. vers. si verò.

2. Et idem dicendum venit quando fructus, sive redditus cuiusvis relictus, factis debitis diligentibus, exigi, & percipi non possent, aut sine culpa legatarii perierint, ut communiter tradunt Ricc. prax. for. Eccles. par. 4. resol. 105. Capon. discept. 154. cap. 2. num. 9. Passerin. de stat. hom. tom. 2. quæst. 187. art. 4. n. 1037. & seqq. Chrispin. de visit. par. 4. §. 18. n. 11.

3. Si verò Capitale legatum consisteret in Animalibus, hæc vendi deberent, & illorum pretium investiri in bonis stabilibus vel locis Montium non vacabilibus, ut quæsito proposito respondendo, nempe — An Animalia relictæ in Testamento Ecclesiasticis personis cum onere Missarum in perpetuum, gaudere deberent privilegio fori, declaravit Sacra Congreg. Immunit. in Montis Pelusii 16. Aprilis 1652. lib. 4. Decret. Paul. fol. 180. à tergo.

**P**ETITAM LICENTIAM. Hæc licentia pro acceptandis oneribus Missarum juxta Decreta memorata peti, & recipi debet ab Officialibus, Rectoribus, & Capitulis Ecclesiarum sæcularium in scriptis sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrendi, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, Sac. Congreg. Concil. in Vicen. 15. Aprilis 1690. Verum si Ecclesia, Capitulum, vel Confraternitas onus inunctum Missarum perpetuarum absque licentia Episcopi acceptarent, adhuc acceptatio esset valida, & obligaret ad adimplendum; quia decreta Urbani VIII.

non continent clausulam irritantem, pro-ut ita declarasse Sac. Congr. Concil. 16. Januarii 1644. refert Pignatell. consult. 222. circa fin. tom. 4.

5. Et quod dicta licentia in scriptis non exigatur de substantia actus, sed ad illius probationem, tenet Passerin. de stat. hom. tom. 2. quæst. 187. art. 4. num. 1229. ubi n. 1233. nimis laxè, & minus tutè ratiocinio Cathedrantis eludit pœnas inflictas in eisdem Decretis contra Regulares acceptantes onera perpetua Missarum sine iuorum Superiorum licentia.

6. Item videtur vera conclusio, quod dicta licentia non requiratur pro oneribus Missarum relictis ad tempus 30. 40. vel 50. annorum, quia dicta Decreta loquuntur de oneribus perpetuis, & perpetuum non dicitur, quod non attingit tempus centum annorum, Tusch. lit. T. Concl. 38. n. 2. & 5. Passerin. lococit. n. 1235.

7. Præterea Episcopus in ipsa oneris inquisitione facienda, si inveniat redditus oneris Missarum juxta regionis morem non correspondere, poterit in mea sententia Missas moderare, & reducere; quia tunc non videtur contra dispositionem eorundem Decretorum facere, sed onus Missarum nondum acceptatum, & sic non impositum, ad æquitatem reducere: Hæcque facultas ex dictorum Decretorum ventre confurgit, nam ibi sic dicitur—Ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus precipuam rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cuiusque Civitatis, intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

8. Ex his, inquam, patet, quo Sac. Congregatio in prima oneris impositione, & acceptatione Episcopus non gravat, ut eidem referant quatenus redditus oneribus invenerit non respondere, sed oneratam vult eorum conscientiam, & ipsorum eligit industriam in præscribendo tot Missas, quot redditibus respondent; & mecum sentiunt Diana resol. moral. par. 6. tract. 6. resol. 10. Nicol. lu.

*Lucubr. can. lib. 3. tit. 41. de celebrat. Missar. num. 10. vers. deinde, Tondut. quest. benef. tom. 2. part. 3. cap. 162. nu. 3. Verùm hæc velim accipias sub censura ejusdem Sac. Congregationis.*

9. Sicuti posset Missas reducere, quando Testator illi facultatem dedit in Testamento, Barbol. *de offic. & potestat. Episcop. alleg. 29. n. 17. ubi Decretum S. C. C. allegat.*

Licentiæ Ecclesiam, sive Oratorium publicum ædificandi.

FORMULA X.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio augendi cultum Divinum, & fovendi populi pietatem, est præcipua in elargiendis gratiis.
- 2 Ecclesiæ edificari non possunt sine licentiâ Episcopi, nisi expressè per indultum Pape consensus illius suppleatur.
- 3 Episcopus licentiâ pro Ecclesiæ ædificatione, concurrente causa, non debet denegare, aliâs datur recursus ad Superiorem, qui supplet illius consensus.
- 4 Dos non requiritur de necessitate in ædificatione Ecclesiæ, sed in consecratione.
- 5 Ecclesiæ edificantur, ut in ea Missæ Sacrificium celebretur.
- 6 In Ecclesiæ ædificatione onera Missarum parce taxanda sunt, & licentiâ construendi non omnibus concedenda.
- 7 Episcopus non potest erigere Collegiâtam.
- 8 Parochus non potest impedire novæ Ecclesiæ ædificationem, quoties ejus jura præserventur, & afferuntur Decreta n. 9. 10. 11. 12. 13. & 14.
- 15 Parochiani non coguntur, sed hortantur audire Missam in Ecclesia Parochiali diebus festis.
- 16 Quæ sint jura Episcopalia enumerantur.
- 17 Ecclesia non debet habere portam, qua transitus habeatur in Domum contiguam, neque aliam servitutem passivam, quam nemo illi imponere potest sine beneplacito Apostolico.
- 18 Patrono Ecclesiæ potest Episcopus in fundatione reservare servitutem prospectus, si sit Princeps, aut aliâs benefactor insignis.
- 19 Oblationes, quæ sunt Oratoriis, seu Cappellis sitis intra Parochiam, debentur Parocho.
- 20 Fallit regula in pluribus casibus, qui adducuntur, & num. 21.
- 22 Ecclesiæ Parochial. privativè competit jus Sepulchri, aliis verò ex privilegio Episcopi.
- 23 Episcopus in concessione licentiæ pro constructione novæ Ecclesiæ debet conditionem apponere ne in solemnioribus anni festivitatibus ibidem celebretur Missa.
- 24 Ecclesia fundata auctoritate Episcopi, licet non benedicta, gaudet immunitate.
- 25 Ecclesia Cathedralis præsumitur consecrata, alia verò inferior præsumitur benedicta, si Missæ ibidem celebrentur.
- 26 Ecclesia auctoritate Episcopi benedicta, si polluitur, potest delegatione ejusdem per simplicem Sacerdotem reconciliari; si verò sit consecrata non poterit reconciliari nisi per Episcopum.
- 27 Quibus modis polluitur Ecclesia.
- 28 Ecclesia non remanet polluta nisi delicta per quæ polluitur sint publica.
- 29 Episcopus potest transferre diem dedicationis Ecclesiæ ad alium diem magis congruum.

N. Episcopus N.

Cum summa sit ratio, quæ pro pietate, & religione facit, & ad ea, quæ tendunt ad Divini cultus augmentum, proni esse debeamus: ideo attentis narratis, & aliis justis de causis animum nostrum dignè moventibus, facta prius per Orato-

Oratorem in Actis nostræ Cancellariæ obligatione in forma juris valida (quatenus Dos in bonis stabilibus fructiferis non assignetur) manutenendi perpetuò fabricam, & suppellectilia necessaria, & decencia tam pro ornamento Altaris, quam pro celebratione Missæ, ac celebrari faciendi saltem tres Missas in die Sancti Titularis, licentiam, & facultatem Oratorii, Ecclesiam in loco in precibus expresso ædificandi, & construendi sub titulo S. N. salvis tamen. *Et reservatis juribus Parochialibus, & Episcopalibus*, concedimus. Dummodo tamen Ecclesia construenda habeat januam in via, & loco publico, nullaque in ea adfit communicatio, five transitus ad Domum vicinam, neque è Domo in eam prospectus, aut alia servitus existat. Sacramenta in ea absque Parochi expressa licentia non administrentur, neque oblationes, aut eleemosynæ à nemine recipiantur, neque sepulchrum construatur, neque in die Paschatis Resurrectionis, nec in die Pentecostes, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Missa celebretur. Prima autem Missa postquam Ecclesia erit constructa non celebretur, nisi priùs à Nobis, vel alio Deputato fuerit benedicta, & licentia celebrandi concessa: & præsens licentia una cum precibus, & obligatione Oratorii in nostra Cancellaria registretur. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

### ADNOTATIONES.

**1 PRO PIETATE, ET RELIGIONE FACIT.** Ratio augendi cultum Divinum, & fovendi fidelium pietatem in elargiendis gratiis, præcipua semper fuit apud Apostolicam Sedem, ut habetur in cap. ex parte de consuet. cap. fin. de rescript. in 6. & sic Episcopus eandem rationem allegat concessiohis, quæ fulcitur etiam lege civili in l. sunt personæ, ff. de relig. & sump. funer. ex qua desumptum est aphorismum, quod summa est ratio, quæ pro pietate, & religione facit.

**2 ALIIS JUSTIS DE CAUSIS.** Nova Ecclesia erigi non potest sine Episcopi licentia, cap. quicumque 16. qu. 7. cap. lator 16. quæst. 5. cap. nemo de consecr. & cap. auctoritatem de privil. in 6. Et hoc verum est etiam si quis haberet privilegium Ecclesias ædificandi, quia intelligitur sine præjudicio juris Episcopi: Etenim, ut possit hoc fieri sine Episcopi consensu, requiritur, quod specialiter in indulto exprimat, nam tunc Papa auctoritate qua pollet, dicitur supplere illius

consensum, Tambur. de jur. Abb. tom. 1. disput. 15. qu. 7. nu. 16. Graff. cons. lib. 3. de jurepair. cons. unico nu. 1. Pasqualig. ad Laurent. de Franch. par. 1. n. 507. & ita responsum fuit à Sac. Congreg. Concilii in Sulmonen. Interdicti 24. Januarii 1699. contra Præceptorem S. Spiritus in Saxia, qui Ecclesiam construxerat absque licentia Episcopi, nixus suis privilegiis, sublatis hodie à Concil. Trid. sess. 22. de celebr. Miss. & cap. 3. sess. 25. de regular.

3 Concurrentibus tamen rationabilibus causis, licentiam denegare non debet, aliàs irrationabiliter renuendo, daretur recursus ad Archiepiscopum, vel Sac. Congregat. Concilii pro supplendo Ordinarium consensu, Barbos. de offic. Episcop. allegat. 26. num. 1. vers. in ædificanda: Amostaz. de caus. piis lib. 5. cap. 2. numer. 31. prout contingit in una Forolivien. favore Barattæ, qui cum ab Ordinario consensum pro constructione Ecclesiæ ruralis non potuisset obtinere, obtinuit, Episcopo contradicente (non tamen rationabiliter) 16. Januarii 1694. rescriptum -- licentiam esse concedendam

dam sine præjudicio jurium Parochialium.

4 **FACTA A PRIUS OBLIGATIONE.** Quamquam in cap. placuit 1. quæst. 2. in cap. nemo de consecr. dist. 1. & in cap. cum sicut ubi glos. de consecr. Eccles. vel altar. habeatur, quod antequam Episcopus consensum præstet super Ecclesiæ ædificatione, assignare faciat Dotem, hæc tamen de juris rigore (quidquid dicat in contrarium Lauret. de Franch. par. 1. nu. 465.) non exigitur nisi in consecratione, prout desumitur ex cap. piæ mentis 16. qu. 7. & pluries declaravit Sac. Congreg. Episcoporum. cujus Decreta refert Nicol. lucubr. Canon. lib. 5. tit. 33. nu. 7. limit. 4. & tenuit nuper Sac. Congr. Concil. in Nullius Galeat. 27. Novembr. 1694. Ideoque in licentia pro ædificatione Ecclesiæ, quæ inservit pro commoditate audiendi Missam, sufficit, quod fiat obligatio omnium bonorum construentis pro illius manutentione.

5 **AC CELEBRARE FACIENDI SALTEM TRES MISSAS.** Inconveniens enim esset, quod in Ecclesia auctoritate Episcopi erecta, numquam ex obligatione Missa litaretur, cum ad hunc effectum Altaria ibidem erigantur. Quoniam si devotioni tantum hæredum fundatoris committenda, & relinquenda esset, Missæ celebratio facile periret, ut passim experientia demonstrat, & Ecclesia derelicta remaneret, & esset destrueda, juxta monitum cap. si quis Basilicam cap. Ecclesiæ, & per tot. dist. 1. de consecr.

6 Hinc propterea injungitur obligatio trium Missarum annuatim in die festo Sancti Titularis per modum exempli, quomodo gravetur ædificans, & in ævum quantum fieri potest certa reddatur Sacrificii immolatio, & Ecclesiæ manutentio. Cæterum inspecta ædificantis possibilitate, loci qualitate, & Ecclesiæ spectabilitate, poterit Episcopus majorem numerum Missarum in aliis anni solemnitatibus taxare, parcetamen, quia agitur de onere perpetuo: advertendo, quod hujusmodi licentiæ passim concedendæ non sunt, & nisi personis facultatibus, vel cautione idoneis, ut possint promissa futuris temporibus adimplere.

7 **ECCLESIAM.** Non tamen Collegiatam, quia hæc à solo Papa erigitur, ut probant Decreta relata à Nicol. in flos. verb. Collegiata nu. 1. Et licet non desint DD. qui tenent, posse Ecclesiam Collegiatam erigi sola Episcopi auctoritate, quos adducit, & rejicit Amostaz. de caus. piis lib. 5. cap. 2. nu. 33. Nihilominus horum opinio reprobatur non solum à praxi Dataria, sed etiam juris principio, & dispositione, un. l. 3. ff. de colleg. illicit. Glos. in cap. fin. verb. novam religionem de relig. Dom. & à Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 14. nu. 46. & 47. Tondut. quæst. benef. tom. 2. par. 3. cap. 193. nu. 11. & 12. Capon. discept. 288. num. 2. & 3. & nuper declaravit Sac. Congr. Concil. in Catanien. erectionis Collegiatae 1. Septembris 1691. in qua cum quæsitum fuisset -- An erectio Collegiata facta per Episcopum in actu Visitationis Ecclesiæ S. Antonii Oppidi S. Philippi de Agira sustineretur, responsum fuit Negative: Neque Curam suppressere, ut erigat Dignitatem Sac. Congreg. Concil. in Pientina 14. Februarii 1693.

8 **RESERVATIS JURIBVS PAROCHIALIBVS.** Hæc clausula in licentia erigendi novas Ecclesias necessariò apponenda est, quia Episcopus juribus Parochialibus præjudicium inferre non potest: & quamvis Ricc. prax. for. Eccles. par. 4. resol. 298. teneat, quod intra fines Parochiæ nova Ecclesia ædificari non debeat, nisi concurrat etiam consensus Parochi: hæc tamen doctrina non debet intelligi, quando Ordinarius id permittat, non reservatis juribus illius: quia si hæc præservata remanent, Parochus non valet se opponere, ut frequenter decisum habemus ab utraque Congregatione, & præcisè.

9 In una Januen. in qua cum Nobilis Mulier Anna Adurna obtinisset ab Archiepiscopo licentiam parvam Ecclesiam ruri ædificandi tam pro commoditate propria, quam loci incolentium, se se opposuit Parochus Sanctæ Margheritæ Marassii, Causaque per viam recursus delata ad Sac. Congreg. Episcoporum. & Regular. referente Eminentissimo Sacchetto sub die 5. Septembris 1692. prodit rescriptum -- concedendum esse ædificationem

nem arbitrio Ordinarii, salvo iuribus Parochialibus.

10. In *Nucerina*: in qua volens Dominicus Cagnucci edificare publicum Oratorium in Villa Dignani, se se opposuit Parochus, non solum ob subtractionem, quam timebat elemosynarum, sed ob diminutionem concursus populi sine quo nec Processiones facere, nec pueros, adultosque rudiores docere Doctrinam Christianam potuisset. Episcopus tamen in actu Visitationis licentiam pro constructione novæ Ecclesiæ concessit, nonnullis conditionibus qualificarum, & sine præjudicio iurium Parochialium, à quo Decreto recurrens Parochus ad eandem Sac. Congregationem, & referente Eminentiſſimo D. Card. Acciajolo sub die 12. Martii 1693. responsum fuit -- *Serventur disposita per Episcopum, & idem tenuit in Piacentina Oratorii 20. Maii 1697. referente clar. mem. Card. Petrucci, Parocho, ac etiam Episcopo reluctans.*

11. In *Maceraten.* Exoptans Bartholomæus Accursus in Oppido Montis Miloni Ecclesiam ædificare, & Dotem pro illius manutentione assignare, Parochus se opposuit qua oppositione non obstante, delata causa per viam recursus ad Sac. Congreg. Concilii sub die 10. Maii 1687. licentiam Accursus concessit -- *Cum obligatione congruæ Dotis, & salvo iuribus Parochialibus.*

12. In *Theatina.* Baro Joseph Foppus pro commoditate Colonorum Ecclesiam auctoritate Ordinarii ruri ædificavit, & cum vellet in ea Cappellaniam perpetuam cum onere Missarum erigere, consensum Archiepiscopi successoris non potuit obtinere, ex quo Ecclesia non esset in loco, & via publica, tum quia per erectionem Cappellaniæ Villici propriam Parochiam deseruissent: ideoque habito per dictum Baronem recurſu ad eandem Sac. Congr. Concilii, propositoque, Archiepiscopo etiam informante, dubio -- *An precibus Baronis esset annuendum, die 29. Julii 1690. responsum fuit -- Affirmative.*

13. In *Forolivien.* Cæsar Maria Baratta, volens fabricam publici Oratorii Ruri cœptam complere, se opposuit Parochus ob proximitatem Ecclesiæ Parochia-

lis; cui oppositioni adhærens Episcopus (qui noluit licentiam concedere) recursum habuit Baratta ad eandem Sac. Congreg. Concilii, à qua audito Episcopo, & nihil, quod posset obstare, deducto, die 16. Januarii 1694. fuit resolutum -- *Licentiam esse concedendam sine præjudicio iurium Parochialium.*

14. In *Ravennaten.* Quondam Franciscus Secchius ob commoditatem populi, mandavit in suo Testamento, quod ex suis bonis erigi deberet in certo loco nova Ecclesia Parochialis, & pro indemnitate Parochi, à quo pars Parochianorum separari debebat, legavit eidem Prædium annui redditus scut. 18. Huic dispositioni acriter se opposuit Parochus ob præjudicia suæ Ecclesiæ: Causaque proinde delata ad eandem Sac. Congr. Concilii, propositoque Dubio -- *An esset facienda erectio novæ Parochialis in alio loco, quam destinato per Testatorem, & sub quibus conditionibus? prodiit, partibus informantibus, resolutio -- affirmativè, & quo ad locum, & conditiones, arbitrio Archiepiscopi.*

15. Ex quibus resolutionibus liquet, quod præjudicium proveniens Ecclesiis Parochialibus ex diminutione concursus, & elemosynarum, penitus contemnitur, & Parochi semper succumbent, quoties hoc clypeo velint se opponere ædificationi novarum Ecclesiarum. Etenim cum hodiè Parochiani non possint cogi ad audiendam Missam diebus festis in Ecclesia Parochiali, ut olim servabatur juxta dispositionem Textus in cap. cum Dominicus de Paroch. & communiter tenent relati à Barboſ. de Paroch. cap. 21. num. 2. sequitur, quod constructio novæ Ecclesiæ, quæ est valdè pia, & religiosa cap. final. dist. 96. pro sola Missæ celebratione non debeat impediri, neque Parochiani coarctandi, ut diebus festis ad Parochiam accedant, prout moris antea fuit, Sac. Congregat. Concil. in Fulginate. 7. Julii 1696. sunt tamen hortandi juxta Concilii Trident. verba sess. 24. cap. 4. de reform.

16. **ET EPISCOPALIBUS.**  
Jura Episcopalia, quæ in licentia referantur, sunt *Cathedraticum, cap. conquirente de offic. Ordin. Quarta Decimarum, cap.*

cap. quoniam de decim. Quarta mortuario-  
rum, gloss. in dict. cap. conquerente. Procu-  
ratio, cap. venerabili de cens. Caritativum  
subsidiium, cap. cum Apostolus de cens. visi-  
tatio, quæ Episcopus à se abdicare non po-  
test, Graff. dec. aur. part. 2. lib. 3. cap. 27.  
nu. 73. & 80. Fagnan. in dict. cap. conquere-  
rente à nu. 11. usque ad 38. de offic. ordin.

17 **SIVE TRANSITVS**. Eccle-  
sia non debet habere portam, qua transi-  
tus habeatur in Domum contiguam, ne-  
que è Domo in eam prospectus aperiri,  
nec aliam servitutem passivam, quam  
nemo illi imponere potest sine beneplacito  
Apostolico, Barbof. Summ. decis. Apostol.  
collect. 301. nu. 16. Gavant. manual. Epi-  
scop. verb. Ecclesia num. 27. Nicol. in flosc.  
verb. fenestra num. 1. & probatum fuit su-  
pra in adnot. ad formul. Edicti de reverent.  
debit. Eccles.

18 Nisi fortè in limine foundationis ali-  
cui Principi loci Domino, aut alio insi-  
gni Benefactori, utpotè quia una cum Ec-  
clesia erexerit pingue Beneficium Eccle-  
siasticum, cum hac lege habendi prospe-  
ctum, reservaretur. Tunc ne laici à fun-  
dationibus retrahantur, cum possit Epi-  
scopus leges, & conditiones etiam juri  
contrarias admittere, non diceretur ali-  
quod contra jus attentare; sed posset Ec-  
clesiam cum hac lege fundatam, validè  
huic servituti subiicere, ad tradita per Lot-  
ter. de re benefic. lib. 1. qu. 32. per tot. & præ-  
sertim nu. 15. & 16.

19 **NEQUE OBLATIONES  
AUT ELEEMOSYNÆ**. Regula  
est juris, quod oblationes, & eleemosy-  
næ, quæ à fidelibus fiunt, & offerun-  
tur Cappellis, Oratoriis, & Ecclesiis,  
existentibus intra limites Parochiæ, de-  
beantur Parocho, ut de communi tradunt  
Capon. discept. 77. per tot. Amostaz. de  
caus. piis par. 1. lib. 4. cap. 1. Tondut. qu. be-  
nefic. tom. 1. par. 1. cap. 63. numer. 8. &  
seqq. Rot. coram Merlin. decis. 257. à num.  
1. ad 11. Adden. ad Pamphil. decis. 272.  
num. 6.

20 Fallit tamen regula. Primò, quan-  
do constat explicitè de contraria offeren-  
tium voluntate, tunc enim Parochus li-  
cèt sit oblationum Administrator, debet  
exequi mentem offerentis. Secundo, fal-

lit si agatur de oblationibus factis alicui  
Imagini miraculosæ in magna quantita-  
te, quia tunc Episcopus potest recogno-  
scere administrationem, ut dicit Carol.  
Ant. de Luc. ad Ventrigli. prax. par. 2. an-  
not. 26. & declaravit Sac. Congr. Concil.  
in Civitatis Ducalis oblationum 22. Martii  
1698. an scilicet applicentur pro fabrica  
Ecclesiæ, pro suppellectilibus sacris, & pro  
celebratione Missarum in suffragium be-  
nefactorum, qui eleemosynas elargiti fue-  
runt, juxta præscriptum Decreti Sac. Con-  
gr. Episc. & Regul. emanatum in Treventina  
22. Junii 1594.

21 Tertio, fallit si fierent Ecclesiæ,  
quæ haberet proprium Rectorem, quia  
tunc oblationum administratio non ad Pa-  
rochum, sed ad Ecclesiæ Rectorem specta-  
ret, ut inquit Zaul nunc meretissimus V. Ge-  
rens observ. ad Stat. Favent. lib. 3. rubr. 21.  
nu. 71. Quarto, fallit quando oblationes  
fiant in Oratoriis Confraternitatum laico-  
rum, quia tunc Parochus non se ingerit,  
sed illarum administratio ad Officiales So-  
cietatis pertinet, ut declaravit Sac. Con-  
gregat. Concilii in Lunen. Sarzanen. 19. Au-  
gusti 1690. in responsione ad sextum.

22 **NEQUE SEPULCRVM  
CONSTRVATUR**. Sepulchrum de  
jure competit privativè Ecclesiæ Paro-  
chiali, cap. fraternitatem: cap. ex parte:  
cap. cum liberum de sepult. aliis verò Ec-  
clesiis ex privilegio, & concessione Epi-  
scopi, cap. Ecclesias 13. quæst. 1. Samuel.  
de sepult. tract. 1. disput. 3. contr. 8. num. 2.  
Barbof. de jure Eccles. lib. 2. cap. 10. nu. 11.  
quod tamen sine aliqua justa causa conce-  
dere non deberet, ut dicit Sebast. Medic.  
de sepult. qu. 10. nu. 5. in fine.

23 **NEC MISSA CELEBRE-  
TVR**. Sicuti de stylo Dataria Aposto-  
licæ, in Indultis, quæ expediuntur pro  
concessione Oratorii privati favore Do-  
micellorum, & personarum nobilium,  
solet apponi clausula, quod Missa in  
his non celebretur in die Pascatis, Pen-  
tecostes, & Nativitatis Domini, ut te-  
statur Barb. de Paroch. cap. 1. nu. 26. con-  
gruentius apponenda videtur in licentia,  
quæ datur ab Episcopo pro erectione no-  
væ Ecclesiæ, præsertim ruralis; ad hoc  
ut in dictis solemnioribus anni festivitati-  
bus



tibus Parochialis debito obsequio Parochianorum non fraudetur, & memoria eorumdem subiectionis non amittatur, sed renovetur, Tondut. *quæst. benefic. tom. 1. cap. 63. num. 18.*

24. **NSI PRIUS FUERIT BENE-DICTA.** Quod Ecclesia constructa, & fundata auctoritate Episcopi nondum benedicta, nec consecrata gaudeat immunitate, ex *cap. fin. de consecr. tenet Bellet. disp. Cleric. part. 1. de favor. Cleric. real. §. 4. num. 27.* & quod non præsumatur benedicta neque consecrata, nisi probetur saltem unico Teste Barbof. *de offic. & potestat. Episcop. alleg. 27. num. 5.*

25. At quod Ecclesia Cathedralis præsumatur consecrata, & dicenti contrarium incumbat onus probandi, ex *Text. in c. omnes Basilicæ de consec. dist. 1. firmat Rota cor. Manzan. decis. 801. num. 11. Ricc. prax. resol. 479. tit. 1. & alia inferior præsumatur benedicta, si constet pluries ibidem Missas celebratas fuisse, & quod tunc gaudeat immunitate, distinguit Ambros. *de immunit. cap. 10. n. 2.**

26. Ecclesia, quæ est tantum ab Episcopo, vel habente facultatem benedicta, non verò consecrata, si polluat, poterit delegatione ejusdem Episcopi per quemcunque Sacerdotem reconciliari aspersione aquæ lustralis, ut habetur in Rituali Romano, & probant Sayr. *de censur. l. 5. cap. 16. num. 32. Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 39. de pollut. Eccles. num. 257. Piafec. prax. Episc. part. 1. cap. 2. art. 4. n. 9.* Si verò esset consecrata, non poterit reconciliari nisi per Episcopum, qui talem facultatem alteri delegare non valet, *cap. proposuisti de consecr. Eccles. Barbof. de offic. Episc. alleg. 28. n. 55. Nicol. ibid.*

27. Polluitur autem Ecclesia pluribus modis. Primò effusione magna sanguinis injuriosa ex violentia facta in ipsa Ecclesia. Secundò seminis humani publica voluntaria effusione illicita, sive per copulam conjugalem. Tertio sepultura Cadaverum Hæreticorum, Infidelium, & Excommunicatorum. Quarto si Ecclesia reconcilietur per Episcopum publicè excommunicatum. Quintò occisione hominis in ipsa Ecclesia, quamvis sanguis non effundatur, puta quia laqueo

Monacelli Form. Pars I.

suspensus, vel suffocatus fuit, Barbof. *de jur. Ecclesiast. univers. lib. 2. cap. 4. à n. 16. ad 25.*

28. Verum adverte, quod ad hoc, ut Ecclesia dicatur polluta, ut indigeat reconciliatione, requiritur, quod supradicta delicta sint publica, Piafec. *prax. Episc. part. 1. cap. 2. art. 4. num. 8.* & quod fiant in ipsa Ecclesia: nam si contingerent in Sacratio, in Atrio, & in Campanili, Ecclesia non remaneret polluta, ut docent Barbof. *loc. cit. num. 26.* & Nicol. *lucubr. can. lib. 5. tit. 39. de pollut. Eccles. n. 252. limit. 3.*

29. Dedicacionis autem dies desumpta ex *cap. 4. Machab.* ab Episcopo ex justa causa potest transferri in alium diem magis congruum, ad evitandam concurrentiam aliorum Officiorum, Speculat. *consult. 4. part. 3. rubr. 52. Sacr. Congregat. Episc. in responsione ad primum Dubium propositum à Suffraganeo Brixionen. sub die 4. Febr. 1585.*

### Licentiæ Erectionis Confraternitatis.

#### FORMULA XI.

##### SUMMARIUM.

- 1 Confraternitati laicorum non debent ascribi homines male vitæ, nec hi, qui ignorant rudimenta fidei.
- 2 Confratres ascripti debent exercere opera pietatis, & misericordiæ.
- 3 Confraternitas debet habere Sacerdotem Cappellanum.
- 4 Regulares non possunt instituere Confraternitates cum usu Saccorum.
- 5 Confraternitates laicorum cum usu Saccorum, an possint cogi ad interessendum processionibus, referuntur Decreta, & n. 6. & 7.
- 6 Confraternitates ad Processiones funerum non accedunt nisi invitentur: neque cadavera defunctorum deferunt, quando hæredum beneplacitum non concurrat.
- 7 Confraternitates à locis, in quibus reperiuntur erectæ, & institutæ, possunt liberè discedere, & expelli.

○

10 Con-

- |   |  |
|---|--|
| <p>10 Confraternitates erigi debent cum preservatione jurium Parochialium.</p> <p>11 Confraternitates Episcopo approbante possunt statuta condere.</p> <p>12 Non possunt statuere, quod admissi, ex obligatione solvant taxatam sumam.</p> <p>13 Possunt tamen per modum hortationis statuere, quod solvatur aliquid elemosynaliter pro manutentione piorum operum Societatis.</p> <p>14 Statutum Confratrum, quo disponitur, quod extraneus non Confrater, non sepeliatur in eorum Sepulcro, nisi soluta certa pecuniae quantitate est simoniacum.</p> <p>15 Licentia elemosynas quaeritandi non debet Confraternitati concedi extra locum, in quo est erecta, &amp; de ratione.</p> <p>16 Confraternitatis Officiales habent liberam administrationem bonorum Societatis.</p> <p>17 Confratres an possint congregari sine licentia Episcopi, quando eis fuit ab eodem prohibitum? refertur opinio Pignatelli.</p> <p>18 Pignatell. consult. 128. tom. 9. rejicitur &amp; afferuntur rationes, &amp; num. 19. 20. &amp; 21.</p> <p>22 Major pars Confratrum constituitur per praesentes non habita ratione absentium, nisi adsit statutum in contrarium.</p> | <p>23 Vota Confratrum debent dari uti ab universis collegialiter, alias eorum consensus, vel dissensus non suffragatur.</p> <p>24 Officialium electio ad Confratres pertinet, confirmatio vero ad Episcopum; qui habet etiam electionem quatenus Confratres non concordent post tertium scrutinium.</p> <p>25 Episcopus Confraternitatibus benemeritis privilegium sepulcri rationabiliter concedit.</p> <p>26 Confratres si sepulturam sibi non elegerint, sepeliri debent in Ecclesia Parochialis.</p> <p>27 Dubia proposita in Sac. Congreg. Concilii, &amp; resoluta super electione sepulturae.</p> <p>28 Confratres non possunt pro successoribus sepulturam eligere, &amp; assertur ratio, &amp; Decretum.</p> <p>29 Electio sepulturae est pars ultima voluntatis, &amp; actus revocabilis usque ad extremum vitae periodum.</p> <p>30 Electio sepulturae semel facta, non censetur revocata, quamvis infirmus ab infirmitate convalescerit, non facta nova electione.</p> <p>31 Parochus non tenetur concedere licentiam Confraternitatibus laicorum exercendi in eorum Ecclesiis functiones Parochiales, si velit per se ipsum exercere.</p> |
|---|--|

## N. Episcopus N.

**I**N Nomine illius, qui Charitas est. Cum nuper Nobis innotuerit, nonnullos eximia probitatis viros hujus loci N. pie considerantes, quod major pars Carceratorum, ne dum amicis, qui illorum expeditionem, & alimenta procurarent, verum etiam notis saepe carent: Et quod cadavera pauperum Defunctorum praesertim extra Civitatem, vel diu insepulta remanent, vel sine lumine ad Ecclesiam deferuntur, non sine dedecore Religionis Christianae: Cupientes praedictis necessitatibus, & Charitatis operibus providere, societatem sub titulo Charitatis in Ecclesia N. quae panes, aliaque edulia saltem bis in hebdomada dictis pauperibus Carceratis, nec non eos visitare, & ut celeriter expediantur procurare: nec non cadavera pauperum Defunctorum erecta Cruce, ac luminaribus, saltem uno Presbytero una cum sodalibus associante, ad sepulturam propriis expensis subministrare, & respectively deferre debeat, inire decrevisse. Nos gratias Deo agentes, quod tam saluberrima Charitatis opera in hac Civitate ceperint exerceri, desiderantesque quod perpetuo frequententur Confratrum propositum verè pium laudantes, eorum petitioni libenti animo inclinati,

clinati, prædictam institutionem, & Societatem cum usu Saccorum coloris ..... ex certa nostra scientia sub titulo Charitatis auctoritate nostra Ordinaria approbamus, & in d. *Ecclesia N. sine præjudicio jurium Ecclesiæ Parochialis, perpetuò erigimus*, & instituimus. Cum facultate, *Statuta, & Ordinationes* pro felici regimine dd. piorum operum, à Nobis tamen, & successoribus nostris approbanda condendi, eleemosynas, & Charitatis subsidia in præfatos usus convertendi in *Civitate*, quærendi, colligendi, & *administrandi*, & Nobis, ac successoribus nostris de illis, ac aliis redditibus rationem reddendi, (remotis tamen ab Ecclesia capsulis, & pelvibus) *Congregationes convocandi*, resolutiones capiendi; *Officiales* à Nobis, & successoribus nostris confirmandos eligendi; *Sepulturam pro Confratribus tantum, qui eam sibi ipsis elegerint*, justis de causis animum nostrum moventibus construendi, *salvis juribus Parochi*, & quartæ sibi debitæ. Et ita erigimus, & approbamus omni, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **EXIMIÆ PROBITATIS VIROS.** Qui auctores principales sunt erectionis Confraternitatis debent esse viri probi, & Charitate Christiana fervidi, quærentes non sua, sed quæ Jesu Christi sunt; nec debent inter Confratres adscribi homines malæ vitæ, facinorosi, aut infamiæ labe notati, neque qui ignorant erudimenta Fidei, Gavant. in *Manual. verb. Confraternitas num. 15. & 16. Donat. de Regular. to. 3. tract. 8. q. 4. num. 2.*

2. **CHARITATIS OPERIBUS PROVIDERE.** Laicorum Societates ad hoc in Ecclesia Catholica fuerunt institutæ, nempe, ut in vinculo fraternæ dilectionis opera pietatis, misericordiæ, & Charitatis exerceant, non ut in suum commodum quidquam convertant, sed ad æmulandum charismata meliora, Cyriac. *controv. 94. n. 5. & seqq. Donat. prax. rer. Regul. tom. 3. tract. 8. quest. 1. n. 3. 4. & 5. & fusiùs probavi supra in adnot. ad Formul. Edicti de visitatione.*

3. **SALTEM UNO PRESBYTERO.** Unaquæque Confraternitas debet habere proprium Cappellanum, qui sit Sacerdos, & præficiatur Ecclesiæ Sacri-

stia, & Cæremoniis sacris, Gavant. *Manual. Episc. verb. Confraternitas n. 9.*

4. **CUM USU SACCORUM.** Ex hac clausula notandum est, quod Regulares, qui ex Indulto Apostolico facultatem habent instituendi Societates in eorum Ecclesiis, non possint illas erigere, seu instituere cum usu Saccorum, absque Ordinarii loci licentia, prout id quærente Episcopo Chiensi respondit *Sac. Congr. Episcopor. 6. Decemb. 1616.*

5. An autem omnes Societates Laicorum, quæ Sacco utuntur, possint ab Ordinario cogi ad interessendum publicis Processionibus, quæstio dubia est, & variè decisa: Etenim *Sacr. Congr. Episcopor. tenet opinionem affirmativam*, prout patet ex Decretis, quæ referuntur à Barbof. *supra Concil. sess. 25. de Regular. c. 13. n. 28. Capon. discept. 276. n. 33. & seqq. tom. 4. Frances de Eccles. Cathedral. c. 25. n. 34. & ex Decreto nuper edito in Florentina Violationis interdicti ad relationem Eminentissimi Card. de Abdua 2. Februar. 1692.*

6. *Sacr. verò Congr. Concilii sequitur sententiam contrariam*, scilicet, quod Confraternitates Laicorum, & quæ Ecclesiasticæ non sunt, possint quidem ad Processiones invitari, sed non compelli,

O 2 & De-

& Decreta refert Nicol. in *fosc. verb. Confraternitas post n. 25. de Franch. controv. part. 1. qu. 13. n. 83. Pignatell. consult. 30. num. 1. tom. 4. & novissimè in Novarien. Processionum 19. Aprilis 1692. Nisi in casu, quod adesset consuetudo, ut respondit in eadem Novarien. & in alia Nucarina Paganorum 15. Aprilis 1690.*

7. Prima opinio, quam sequitur Sac. Congregat. Episcop. mihi semper magis placuit, quia cum agatur de actione spirituali, Laici debent subjacere iudicio Episcopi, & quia est favorabilis pietati, religioni, & cultui Divino, & hanc laudat quoque Lauret. de Franch. *controv. part. 1. n. 89. & 90. his verbis -- Et quod ad Episcopum spectet, facit quod Laici in omnibus actionibus spiritualibus, & concernentibus cultum Divinum subsunt iudicio Episcopi. Verùm quia contraria Sententia nititur Decretis Sac. Congregat. Concilii, ad quam spectat Concilium Trident. interpretari, qui illam sequitur non fallitur.*

8. Ad Processiones autem, quæ fiunt occasione funeris, accedere non possunt, nisi fuerint invitatae, Samuel. de *sepult. tract. 1. disput. 3. controvers. 5. conclus. 9. num. 19. & pluries declaravit Sac. Congr. Episcop. apud Pignatell. conf. 73. num. 17. tom. 8. At si demum invitatae sint, nec Cadavera deferre ad Sepulturam, quatenus Hæredum Defunctorum, à quorum libera voluntate, & arbitrio pendet, beneplacitum non concurrat, Pasqualig. ad Lauret. de Franch. *controv. part. 1. num. 1592. Barbof. in Summ. decis. Apostol. collect. 245. n. 5. Tondut. quæst. Benef. to. 1. cap. 43. num. 10. & 11. Nicol. in fosc. verb. Sepultura num. 12. Pignatell. conf. 205. num. 26. tom. 4.**

9. **IN DICTA ECCLESIA. N. PERPETUO ERIGIMUS.** Erectio Societatis facta in certo, & determinato loco, non inducit necessitatem, ut ibi perpetuò Confratres permaneant, sed ut opera instituti exercentur. Nam cum non sit Collegium naturale reale necessarium, quod habeat aliquam conjunctionem cum Ecclesia, in qua erigitur, sed personale, potest ad libitum à loco recedere, vel dimitti, etiam si reperiat erectum in

Ecclesiis Regularium, Tondut. *quæst. Benef. tom. 1. cap. 43. num. 8. Donat. prax. rer. Regular. tom. 3. tract. 8. q. 3. num. 1. in fin. Rot. coram Coccin. decis. 472. Sac. Congregat. Concilii in Pisana 23. Augusti 1692. Sac. Congregat. Episcop. in Venafrana 28. Novembris ejusdem anni.*

10. **SINE PRÆJUDICIO JURUM PAROCHIALIS.** Hæc clausula semper debet apponi, si vè propria, quia jura Parochi illæsa servanda sunt, & non aliter quàm sub ista conditione Societates hujusmodi, vel novæ Ecclesiæ (ut jam diximus alibi) erigendæ non sunt, prout Sac. Congr. Episc. rescriptis Episcopo Cajetano anno 1631. cuius Epistolæ exemplar refert per extensum Pignatell. *consult. 79. num. 3. tom. 9.*

11. **STATUTA, ET ORDINATIONES CONDENDI.** Episcopo assentiente, possunt Confratres Statuta condere, Donat. *ubi supra quæst. 16. num. 1. & 4. Sac. Congregat. Concilii in Ulyssiponen. 3. Junii 1690. & hoc illis expressè conceditur in Bulla Clement. Octavo.*

12. An autem possint statuere, quod nemo recipiatur in Fratrem, nisi prius solvat certam pecuniæ, aut ceræ quantitatem? distinguitur. Aut Statutum præcipiat absolute forma coactiva, nulla honesta causa, quæ pietatem redoleat, vestitum; & tunc cum videatur continere pactum simoniacum, erit illicitum: Quia cum admissio in Confratrem afferat lecum participationem spiritualium gratiarum, tale pactum non potest separari ab inhonesta conditione, & est contra dispositionem d. Bullæ Clementis Octavi, quæ eleemosynas, & Charitatis subsidia spontè oblata permittit, & non coacta, ibi -- *ut omnes intelligent Coelestes Ecclesiæ Thesuros, non quæstus, aut alicujus luctri causa, sed pietatis, & Charitatis excitandæ gratia ex Apostolica Sedis benignitate Christi fidelibus aperiri.*

13. Aut Statutum per modum adhortationis disponit, quod quisque receptus in Confratrem, si sit solvendo, solvat eleemosynaliter taxatam summam,

vel

vel fortè minorem pro manutentione Divini Cultus, & piorum operum Societatis, & tunc licitum, & validum erit, ut communiter tenent Laert. Cherubin. ad Constitut. 98. Clem. VIII. Schol. 2. Laurent. de Franch. controv. part. 1. num. 238. ubi Pasqualig. Donat. ubi supra quæst. 17. num. 1. Frances de Eccles. Cathedr. cap. 25. num. 230. & 231. & idem priùs firmaverat Turrecr. in cap. si quis despicit 42. dist. num. 2.

14. Si autem Sodales statuerent, quod in eorum Sepulchro extranei non Confratres non possint sepeliri, nisi solvant aliquam summam pecuniæ, aut certam quantitatem Ceræ; illicita esset Constitutio, & simoniaca, per Text. in ca. Audivimus de simon. Zecch. de Republ. Eccles. tit. de Paroch. cap. 28. numer. 19. vers. caveat etiam, ubi conclusionem sic firmat — sic etiam est simonia si fiat pactum, ut extraneus, qui vult sepeliri in Sepulturis Confratrum, solvat tantam summam, & idem dicit Samuel. de sepult. tract. 2. disp. 1. controv. 13. concl. 7. nu. 14. ibi — Sepultura quando est pro Confratribus alicujus Ecclesie Laicorum determinata, ac sit pactum, seu taxa, ut scilicet si extraneus sepeliri velit ibi, certum quid solvat, simonia omninò indubitanter committitur, ex c. Audivimus, & cap. sicut de simon.

15. IN CIVITATE. Licentia elemosynas quæritandi debet dari pro loco, in quo Societas erigitur, si enim daretur pro tota Diœcesi, esset cum præjudicio aliarum in eadem jam erectarum, & ideò non est universaliter concedenda, nisi in casu, quod non posset aliundè paupertas Societatis sublevari.

16. ET ADMINISTRANDI. Confratres mediante persona Officialium habent liberam administrationem bonorum Societatis, nec illis potest impediri, nec auferri, dummodo introitus non dissipent, & rationem ad formam Concil. Trident. Ordinario reddant, sic non semel, sed pluries declaravit Sac. Congregat. Episcop. ut testatur Pignatell. consulti. 71. num. 5. tom. 6. & consulti. 15. n. 32. tom. 7. ubi resolutiones refert.

17. CONGREGATIONES CONVOCANDI. Sæpè solent Episcopi suis Edictis

Monacelli Form. Pars I.

prohibere ne Confratres congregentur pro aliqua resolutione capienda sine interventu Vicarii Foranei loci, sub pœna nullitatis agendorum; quorum praxis hodiè fulcrum recipit ab auctoritate Pignatelli. qui in consultat. 128. per tot. tom. 9. firmat, hanc prohibitionem juridicam esse.

18. Verùm Pignatelli opinionem nunquam sequi volui, nec sequenda alios consulam: Tum quia Sac. Congregat. Episcop. in una Nullius Putiniani 21. Augusti 1584. rescripsit Vicario dicti loci, quod non potuerat prohibere, ne Societas Sacramenti non se congregaret, neque ullam resolutionem caperet absque sua licentia: Tum quia eo ipso, quod Confraternitas reperitur legitime erecta, habet jus tamquam legitimum Collegium se congregandi quoties sibi placuerit absque licentia Superioris, Rot. coram Coccin. decis. 2174. num. 11. & 12. Frances de Eccles. Cathedr. capit. 25. numer. 330.

19. Nullius momenti est reflexio super quam innixus pergit Pignatell. quod nempe cum Episcopus curare, & invigilare debeat, ut bona locorum piorum fideliter administrantur, ne fraudes fiant, malis præveniendò, possit talem prohibitionem facere, quoniam malis, & abusibus, si quæ sint, & eveniant, ut arceantur, alia media sunt proponenda, & adhibenda, non autem absque delicto, & ex causa remota possibilitatis delinquendi paucorum, privandum est Collegium jure, quod sibi essentialiter competit congregandi.

20. Sicque cum talis prohibitio de jure sustineri non valeat universim pro omnibus Congregationibus, poterit Episcopus ea uti in aliqua re gravi, quæ involvit præjudicium irreparabile, vel damnum notabile, per modum tamen hortationis, & nunquam sub pœna nullitati, quam infligere actibus Collegii legitime congregati non potest: Et hæc fuit sententia clar. mem. D. mei Card. Petruccii, qui votum sum aperire iussus à Sac. Congreg. Concilii in una Pisaurin. sub diebus 28. Decemb. 1697. & 14. Junii 1698. ita Decretum Episcopi super gubern-

bernio Confraternitatum cum hac prohibitione latum moderandum esse censuit : & Sacr. Congreg. censuram Voti approbavit .

21 Aliud enim est , quòd Episcopus per se ipsum , vel per suum Delegatum possit intervenire , & assistere Congregationibus Confratrum , etiamsi fiant in Ecclesiis , & Oratoriis Regularium , in quibus reperiuntur Societates erectæ , absque eo quod possit excludi , ut respondit Sac. Congregat. Episcop. & Regular. in Cesenaten. 24. Novemb. 1690. & alia Decreta refert Nicol. in fosc. verb. Confraternitas num. 7. Aliud est , quòd Confraternitas non possit congregari sine licentia , & præsentia Delegati Episcopi sub pœna nullitatis agendorum , quod est contra juris dispositionem ; cui Episcopus non potest derogare .

22 Congregatio autem legitime , ut moris est , intimata , & coadunata poterit determinare , & resolutionem capere , etiamsi non interveniant duæ ex tribus partibus , aut major pars Confratrum : Nam major pars Universitatis , Collegii , seu Capituli constituitur per præsentem , non habita ratione absentium , Rot. cor. Burrat. decis. 573. num. 22. & coram Cels. decis. 85. nu. 9. impressa apud Tondut. qu. Benefic. tom. 2. part. 3. cap. 157. num. 56. Dummodo tamen non adsit Statutum , quod aliud determinet .

23 Verum quoque est quòd Vota Confratrum debent dari uti ab universis , non uti à singulis , & idè illorum consensus , vel dissensus præstitus extra Congregationem , seu Collegium non suffragatur , ut dixit Rot. coram Burrat. decis. 225. nu. 3. & 4. coram Cavaler. decis. 193. n. 5. si verò adsit præfens Episcopus , hic regularitèr Votum dare non debet , ut respondit Sac. Congreg. Concil. in Senogaliten. 4. Junii 1701.

24 OFFICIALES ELIGENDI. Officialium electio liberè ad Confratres pertinet , confirmatio autem ad Episcopum , Barbol. in Summ. decis. Apostolic. collect. 207. num. 13. Nicol. in fosc. verb. Confraternitas num. 6. & 7. Frances de Eccles. Cathedr. cap. 25. num. 278. immò & electio ad eundem pertinet , si

Confratres non concordent post tertium scrutinium , Sacr. Congreg. Concilii in d. Senogaliten.

25 SEPULTURAM PRO CONFRA-  
TRIBUS . Quod Episcopus concedat Ecclesiis non Parochialibus privilegium Sepulchri , probavi in adnotat. ad Formul. præcedentem , & communiter admittunt Sebast. Medic. tract. de Sepult. qu. 10. n. 5. Samuel. eodem tract. par. 1. disput. 3. contr. 8. concl. 11. num. 19. & 20. Undè alicui Confraternitati insigni , & benemeritæ , puta quia Ecclesiam de novo construxerit , dotaveritque , quod sit hominibus piis , & qualificatis plena , vel plura misericordiæ , & charitatis opera exemplariter , & pauperum levamine exerceat , rationabiliter poterit illud concedere .

26 QUI EAM SIBI IPSIS ELEGERINT . Si enim Confratres Sepulturam in Ecclesia , sive Oratorio Confraternitatis non elegerint , sepeliri deberent in Ecclesia Parochiali , quia privilegium factis hoc operatur , ut Confratres ibi sepeliantur , ubi aliàs minimè possent , ut in terminis advertit Sebast. Medic. tract. de Sepult. quæst. 7. nu. 41. & declaravit Sac. Congregat. Concil. in Neapolitana 13. Februar. 1666. ad septimum : Cujus Decreti exemplar , quia in hac materia mihi visum fuit notabile , hic referre studui unà cum expositione casus , qui talis est .

Per evitare le controversie , che per cause di elezione di Sepoltura , e di Funerali sogliono avvenire non senza scandalo de' Fedeli , sono l' E. E. V. V. supplicate dal Commendatario dell' Abbazia , e Chiesa Parochiale di San Giovanni Maggiore di Napoli per la risoluzione delli seguenti dubbii .

I. Se sia valida l' elezione della Sepoltura , che si fa nella presenza del Paroco da chi è sano , ò infermo .

II. Se al valore dell' elezione della Sepoltura si richieda il Testamento nell' ultima volontà , ovvero basti , che s' elegga innanzi per alir' atto pubblico , che non sia Testamento .

III. Se sia nulla essa elezione di Sepoltura quando si elegge etiamdio per Testamento fatto in vita , e non in morte .

IV. Se chi ha Cappella di sua Famiglia con Sepoltura propria, o se comprasse Cappella con propria Sepoltura, morendo senza elezione di Sepoltura si debba sepellire nella Cattedrale.

V. Se sia valida l'elezione della Sepoltura fatta nella presenza di due, o più Testimoni.

VI. Se l'elezione della Sepoltura fatta per nutum, e per signa in caso, che tal'uno non possa parlare, sia valida.

VII. Se li Fratelli delle Confraternità si possano sepellire nella Sepoltura della loro Chiesa non facendosi elezione d'altra.

VIII. Se l'elezioni della Sepoltura, le quali presumuntur de jure, come quelle della Moglie rispetto al Marito, de' figli rispetto al Padre, e loro Maggiori, e de' Schiavi rispetto a' Padroni, e simili siano valide.

Die 13. Februarii 1666. Sac. Congr. Concil. Trid.

Ad primum. Censuit esse validam, dummodo Parochus non attestetur ad proprium commodum.

Ad secundum. Censuit non requiri necessarium Testamentum.

Ad tertium. Censuit non esse nullam.

Ad quartum. Non esse sepellendum in Cathedrali.

Ad quintum. Esse validam.

Ad sextum. Esse validam, dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis.

Ad septimum. Negativè.

Ad octavum. Censuit quatenus electa non fuerit Sepultura, Uxorem in Sepulturam ultimi Viri sepellendam, filios verò in Sepulchro majorum, Servos autem in Parochia.

Ita reperitur in registro Decretor. lib. 25. fol. 29.

Ita est A. Altovitus Secretar.

Et in alia Neapolitana --- Sumpta occasione Decreti editi ab hac Sac. Congregatione in alia Causa Neapolitana sub die 13. Februarii 1666. ad secundum ex pluribus dubiis propositis super materia funerum respondit --- Ad validam Sepulturæ electionem non requiri necessarium Testamentum.

Confratres, & Consores consueverunt collectivè, & collegialiter per publicum Instrumentum eligere Sepulturæ suæ locum in aliis Ecclesiis, & signanter Regularium in quibus eadem Sodalitates erectæ reperiuntur, absque tamen voto, juramento aut promissione de non revocando electionem, & nuper Confratres Artifices Congregationis Assumptæ erectæ in Ecclesia Presbyterorum Oratorii S. Philippi Nerii, per libellum à Sanctissimo D. N. remissum supplicarunt hujusmodi electionis Sepulturæ modum validum declarari.

Super his confecto Processu per Eminentissimum Archiepiscopum, dataque relatione, quæ in folio per manus Eminentissimorum PP. transmittitur, hediè informant tantum Capitulo Ecclesiæ Archiepiscopalis Neapolis quæritur, An hujusmodi electio Sepulturæ collectivè, & collegialiter facta sustineatur in casu de quo agitur?

27 Die 16. Maii 1682. Sac. Congr. Concilii &c. respondit sustineri electionem Sepulturæ collectivè factam per Confratres individualiter consentientes, & die 19. Decembris ejusdem anni 1682. repropoita hujusmodi causa, utraque parte, ore, & scriptis informante stetit in decisis, addita clausula -- revocabiliter tamen.

F. Card. Columna Præfectus.

A. Altovitus S. C. C. Secr.

28 In his Decretis, quæ etiam invenies impressa post Synodum Provinciale Neapolitanam typis editam anno 1700. notanda sunt verba in secundo posita, ibi -- individualiter consentientes, ex quibus datur intelligi, quod Confratres quamvis collegialiter Sepulturam eligant, adhuc non comprehenduntur hi qui nominatim, & individualiter non consenserunt, cum nemo possit pro alio Sepulturam eligere quamvis hæredi, & successori, etiamsi electio esset jurata, ut declaravit altera Congreg. Episcoporum. & Regular. in Camerinen. 18. Augusti 1690. in qua cum Homines Villarum Pontis Trabis, contractu jurato pro se ipsis, filiis, hæredibus, & successoribus Sepulturam elegissent in Ecclesia PP. Min. Conventualium dicti loci, recurrentibus Parochis, prodiit sub

O 4 dicta

dicta die resolutio. *Contractum non sustineri, & proinde Parochos non esse molestandos.*

29 Item notanda sunt alia verba, ibi -- *revocabiliter tamen*, prudenter, & scite in secunda causæ resolutione addita; quia cum electio Sepulturæ sit pars ultimæ voluntatis, & actus liber, est semper revocabilis usque ad extremum vitæ periodum, Barbof. *de Paroch. cap. 26. nu. 24.* quem sequitur Panimol. *decis. 5. adnot. 3. num. 3.* Samuel. *de sepult. tract. 1. disp. 2. controv. 1. num. 1. pag. mibi 43.*

30 Et hinc è contra infertur, quod Sepulturæ electio, facta ab infirmo, licet postea convaluerit, non censetur revocata, si postea decedat non facta alia electione, ut tenet Bellet. *disq. Cleric. par. 1. de Cleric. Debitor. §. 3. nu. 29.* Et quamvis contrarium sentire videatur Ricc. *in prax. For. Eccles. par. 2. resol. 312. num. 5. & 6.* ubi dicit, quod prima opinio possit procedere, quando electio reperiatur facta in Testamento, vel Instrumento, adhuc Sententiæ Belletti standum est; quia ultima voluntas, cujus est pars electio Sepulturæ, probari potest aliunde, quam per Instrumentum, sive Testamentum, quod non est necessarium ad hunc effectum, ut jam declaravit Sac. Congreg. in supra relato Decreto in responsione ad secundum, & præsumitur semper durare, donec non appareat fuisse revocatam.

31 **SALVIS JURIBUS PAROCHI.** Quatenus Confratres præter Sepulturam illis concessam vellent in eorum Ecclesia, sive Oratorio Missas solemnes canere, aut alias functiones Parochiales agere, Parochus, qui est requirendus pro licentia, non tenetur illam concedere, nisi esset impeditus, vel nollet per se ipsum gratis prædictas functiones facere *Sagr. Congr. Concil. in Lunen. Sarzanen. 27. Julii 1697. & in Ferrarien. 22. Martii 1698.*

Licentia erectionis Societatis Sanctissimi Sacramenti.

F O R M U L A XII.

S U M M A R I U M .

- 1 Societas Sanctissimi Sacramenti debet erigi in unaquaque Ecclesia Parochiali.
- 2 Societas Doctrinæ Christianæ debet institui saltem in Cathedrali.
- 3 Societati Sacramenti debetur præcedentia supra alias Confraternitates in Processionibus, in quibus defertur Sanctissimum Sacramentum.
- 4 Societas Sacramenti participat de Indulgentiis, sine alia aggregatione.

N. Episcopus N.

*In nomine ejus, qui sedet ad dexteram Patris.*

**CUM** in nostra prima visitatione Parochialis Ecclesiæ S. N. loci N. invenimus *numquam in ea institutam fuisse*, neque erectam Societatem Sanctissimi Sacramenti, qua possit reddi, & augeri Cultus Venerabilis, præsertim occasione delationis Viatici ad Infirmos, illam (adscitis per Nos quampluribus dictæ Parochiæ piis viris, qui spontè, & alacriter sese in albo describi petierunt) instituere & erigere in Domino, qui Nos confortat, statuimus, prout præsentis nostri Decreto pro majori Cultu, & Veneratione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ Societatem cum usu sacrorum coloris albi, quæ in associatione ad infirmos, & Processionibus præsto sit, & inservire debeat, cum omnibus *privilegiis, & prærogativis, necnon participatione Indulgentiarum* à Summis Pontificibus hujusmodi Societatibus elargitarum.



tarum in dicta Ecclesia Parochiali N. auctoritate nostra ordinaria perpetuò erigimus, & instituimus. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

**1 NUNQUAM IN EA INSTITUTAM FUISSE.** In visitatione Ecclesiarum Parochialium curæ erit Episcopo investigandi de existentia Societatis Sacramenti; quia hæc non comprehenditur in prohibitione, quod una tantum Confraternitas ejusdem nominis, & instituti in unoquoque loco erigatur: Immo expressè, & enixè desideratur, quod in qualibet Ecclesia Parochiali inventiatur, ut patet ex litteris Congregationis Indulgentiarum Archiepiscopo Bononien. directis, & approbatis à Paulo V. & per extensum relatis à Lauret. de Franch. *controv. par. 1. n. 231.* & propterea ubi non adest, quantum possibile erit, studeat, ut instituat.

**2** Et quod dicitur de Societate Sacramenti, ampliet Episcopus ad aliam Doctrinæ Christianæ tam Marium, quam Fœminarum, & præsertim in Cathedrali, quia opus hoc piissimum, necessarium est, & eo indigent parvuli, & adulti, totisque viribus promovendum, juxta commotionem Sanctissimi Pontificis Innocent. XI. litteris circularibus omnibus Episcopis factam sub dat. 22. Junii 1686. Nicol. *fosc. verb. Confraternitas num. 2. vers. Non intelligitur.*

**3 PRIVILEGIIS, ET PRÆROGATIVIS.** Una ex prærogativis, qua gaudet ista Societas, est præcedentia, quæ ei debetur supra omnes alias Confraternitates in illis Processionibus, in quibus defertur Sanctissimum Sacramentum, prout declaravit Sac. Congreg.

*Rituum in Verzellen. 18. Junii 1695. & in Cremon. 3. Augusti 1697.*

**4 NECNON PARTICIPATIONE INDULGENTIARUM.** Ubi cumque hæc Societates reperiuntur erectæ gaudent, & participant absque alia aggregatione de Indulgentiis concessis à Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XII. & Paulo V. De qua participatione populus à Parocho frequenter est admonendus, ut fideles lucro spirituali allekti, valeant (de eorum salute solliciti) societati ascribi, & opera illius avidius exercere.

Licentiæ assumendi habitum  
Eremiticum.

FORMULA XIII.

SUMMARIUM.

- 1** *Habitum Eremiticum non debet ab Episcopo concedi, nisi bonis moribus præditi.*
- 2** *Eremitæ, qui susceperunt habitum de manu Episcopi, & inserviunt alicui Ecclesiæ de ejus mandato, gaudent privilegio fori.*
- 3** *Qui oppositam sententiam teneant referuntur.*
- 4** *Deputatio Eremitæ pro custodia Ecclesiæ, potest pertinere ad Laicos, sed approbatio semper spectat ad Episcopum, qui lentè procedere debet.*
- 5** *Eremitæ quando sint à Diœcesi expellendi.*

N. Epi-

## N. Episcopus N.

*Dilecto N. salutem, & benedictionem in Domino sempiternam.*

**T**ibi probis, Christianisque moribus imbuto, & bono spiritu serviendi Deo in solitudinem ducto, & *attenta obligatione* per Te facta in actis nostrae Curiae, quod Nobis, & successoribus nostris obediens eris, habitum Eremiticum, quem postulasti, & ut illum deferre valeas concedimus, Eremumque cum Ecclesia N. in quo (seu qua) commorari debeas assignamus, & *in custodem, & servitio dictae Ecclesiae deputamus*, manesque sub obedientia Rever. Archipresbyteri loci N. nec in loco supra assignato ultra triduum sine licentia d. Archipresbyteri abesse nequeas sub penis arbitrio nostro infligendis. Declarantes Te ita per Nos approbatum, & deputatum gaudere debere *privilegiis*, quibus fruuntur, & gaudent caeteri Eremitae tam de jure, quam de consuetudine. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus, five Vicarius Generalis N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

## ADNOTATIONES.

**1** **PROBIS, CHRISTIANISQUE MORIBUS.** Primumque requisitum pro concessione habitus Eremitici sunt boni mores, & aliqua idoneitas, & aptitudo pro custodienda, & servienda Ecclesia, cui Eremita addicitur, & praeficitur.

**2** **ATTENTA OBLIGATIONE.** Eremitae habentes requisita in Formula contenta, nempe si susceperint habitum de manu Episcopi, si servitio alicujus Ecclesiae ab eodem fuerint deputati, & si vivant saltem ex pacto sub illius obedientia, gaudent privilegio Fori, & Canonis, juxta sententiam, quam tenent Barbof. *de jur. Eccles. lib. 1. cap. 39. nu. 45.* & in *Summ. decis. Apostol. collect. 324. n. 2.* Fagnan. *in cap. Nullus num. 61. & 62. de for. comp. Nicol. lucubr. canon. lib. 5. tit. 39. n. 109. §. 3.*

**3** Et quod habeant privilegium Clericorum, dicit Glof. *in cap. Qui verè verb. Sacro 16. q. 1.* Quamquam oppositam sententiam tenentibus relatis, quaestionem in decisam relinquunt Donat. *de Regular.*

*tom. 4. tract. 14. qu. 1. Passerin. de stat. homin. tom. 3. qu. 188. art. 8. n. 28.*

**4** **IN CUSTODEM, ET SERVITIO DICTAE ECCLESIAE DEPUTAMUS.** Deputatio Eremitae pro custodienda Ecclesia potest pertinere ad Laicos de universitate cum approbatione tamen Ordinarii, *Sac. Congr. Concilii in Alban. 10. Maii 1692.* Verum Episcopus in approbando tales homines, & praesertim Ultramontanos, qui ad nostram Italiam adventant, immò & saepe vagantur, quam alios alienigenas, caute, & lente procedat, & moram faciat, donec de moribus, religione, & vita certioretur: Nam non semel accidit, quod hi veniunt ad Nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem, vel sunt Haeretici, vel homines perditii, facinorosi, girovagi, circumcelliones, qui Provincias lustrant in spiritu libertatis, & carnis, gulaeque illecebris fervientes flagitiose vivunt.

**5** Quos igitur mores Religioso habitu non correspondere, aptitudinemque servitio Ecclesiae non habere competentem habeat, aut de eorum honestate,

state, vita, & religioſitate rumor, ſeu ſuſpicio ſit, vel juxta modum ab eodem Epifcopo eis præſcriptio, vivere renuant, & contemnant, à Diœceſi abire compellant juris remediis, ne iſti Pſeudomonachi bonos mores ſubditorum corrumpant, ut monet Text. in cap. quidam Monachi, & cap. ſeqq. 16. quæſt. 1. Donat. prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 14. qu. 2. num. 7.

Licentiæ aſſumendi habitum Tertiariæ.

FORMULA XIV.

SUMMARIUM.

- 1 *Habitus Tertiariæ non debet ab Epifcopo concedi, niſi ſervatis conditionibus præſcriptis à Sac. Congreg. Concilii.*
- Tertiariæ habentes requiſita gaudent privilegio fori, & exemptione à gabellis.*

N. Epifcopus N.

*Dilectæ Nobis in Chriſto N. ſalutem, & benedictionem in Domino.*

**U**TTU, quæ bonis moribus imbuta, bonæque frugis, & laudabilis vitæ exitis, ætate annorum quadraginta conſtituta, propria bona, ex quorum fructibus honeſtè vivere vales, poſſides, & non cum aliis viris, quàm cum tuis conſanguineis, vel affinibus in primo tantùm gradu conjunctis habitas, prout hæc omnia Nobis prævia informatione conſtare feciſti, Tertii Ordinis Sancti Franciſci habitum, quem poſtulavi, ſuſcipere poſſis, & R. P. N. Ord. Min. in Provinciali illum Tibi conferendi licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur. In quorum &c. Datum &c.

N. Epifcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Epifcopalis.

ADNOTATIONES.

**C**ONSTARE FECISTI. Antequam Epifcopus licentiam concedat habitum Tertiariarum aſſumendi, debet ſibi, vel ejus Vicario conſtare legitime de omnibus requiſitis, quæ ſigillatim ſuprà expreſſa fuerunt in Formula, ad formam præſcriptam Decretor. Sac. Congr. Epifcop. & Regular. & Sac. Congregat. Concilii, quæ per extenſum referunt Donat. prax. rer. Regular. tom. 2. tr. 17. de Soror. in ſæcul. qu. 3. num. 21. Nicol. in ſoſc. verb. Tertiariæ nu. 4. 5. & 6. Barboſ. in Summ. deciſ. Apoſtol. collect. 700. n. 2. Tertiariæ enim concurrentibus prædictis requiſitis gaudent privilegio Fori, & exemptionis à gabellis, Sac. Congr. Immu-

*nit. in Interamnen. 10. Novemb. 1638. l. 3. Decr. fol. 77. tergo, Nicaſtren. 16. Julii 1628. lib. 1. Decret. fol. 8. Salernitana 29. Maii 1629. l. 1. Decret. fol. 139. à tergo.*

Licentiæ publicationis Monitorii pro habendis revelationibus.

FORMULA XV.

SUMMARIUM.

- 1 *Monitoria pro habendis revelationibus non publicantur in Feſtis ſolemnioribus.*
- 2 *Qui non habet intereſſe, Monitoria pro revelationibus habendis non obtinet.*

3 Mo-

- 3 Monitoria pro habendis revelationibus conceduntur in subsidium deficientibus aliis probationibus.
- 4 Qui vult Monitorium jurat aliunde probationes non habere.
- 5 Capitula Monitorialia revidentur, & approbantur ab Episcopo, sive Vicario Generali, & non conceduntur contra personas certas.
- 6 Quibus denegentur.
- 7 Revelationes debent fieri in scriptis sine juramento.
- 8 Notarii tenentur revelare Instrumenta per eos confecta.  
Notarii possunt etiam Censuris compelli ad exhibenda Testamenta, in quibus sunt legata pia.  
Notarii non revelantes legata pia tenentur ad restitutionem.
- 9 Qui non teneatur revelare.
- 10 Revelationes non sunt pandendæ partibus, donec non concedatur ab Episcopo publicatio, quæ debet concedi cum clausula, quod in civilibus tantum uti debeant.
- 11 Petenti revelationes dari potest juramentum, quod illis non utetur, nisi in judicio civili.  
Revelationes, quæ continent infamiam, non debent concedi; sed monito detentore, si restituere nolit, repetitis testibus proceditur ad Censuras.
- 12 Vel conceduntur nomina, & cognomina testium, quos judex Laicus compellit ad deponendum.  
Revelantes, deponentes in judicio cum juramento contrarium ejus, quod continetur in revelatione, non possunt puniri de falso.
- 13 Monitoria ad finem revelandi non conceduntur à Prælati inferioribus Episcopo, sed debent eorum subditi Sedem Apostolicam adire.

## N. Vicarius Generalis.

**T**ibi N. Parocho Ecclesiæ N. sub pœna arbitrio nostro committimus, ut receptis præsentibus, debeas tribus diebus Festivis non ex solemnioribus inter Missarum solemniam publicè in Ecclesia coram populo trinas publicationes facere rerum contentarum in præinfertis capitulis Monitorialibus, de quibus exponens, cujus interest, nullam hucusque informationem, nec restitutionem habere potuit, quæ à Nobis revisa, & approbata fuerit; Et postquam factæ fuerint, si aliquid Tibi pro restitutione facienda traditum fuerit, ad Nos statim transmittas, si quid verò revelatum, ut in scriptis redigatur coram Te à Cancellario Foraneo curabis: Revelationes autem nemini pandas, sed clausas, sigilloque tuo communitas festines ad Nos remittere. Datum &c.

N. Vicarius Generalis N.

N. Cancellarius Episcopalis.

### ADNOTATIONES.

1. **NON EX SOLEMNIORIBUS.** Praxis ferè universalis est, quod Monitoria sub pœna excommunicationis publicanda pro habendis revelationibus, non legantur in diebus Nativitatis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini, neque in diebus Pentecostes, & Corporis Christi, ut tradunt Nicol. lucubr. Can. lib. 5. tit. 39.

de sent. excomm. post nupt. 23. Barbof. alleg. 96. n. 2. Guazzin. tamen in tr. ad defens. Animar. lib. 2. defens. 2. cap. 17. nu. 79. tenet, quod possint etiam concedi pro dictis diebus solemnioribus.

2. **CUJUS INTEREST.** Qui non habet interessè Monitoria hujusmodi non obtinet, ut docent Ricc. prax. For. Eccles. part. 1. resolut. 248. num. 1. & seqq. Lazar. quest. Can. sect. 1. qu. 9. n. 3.

3. **NULLAM HUCUSQUE**  
IN-

**INFORMATIONEM HABERE POTUIT.** Si enim veritas facti in capitulis exposita aliundè per scripturas, vel testes, posset haberi, tunc Monitorium non conceditur, quia datur solummodò in subfidium pro rebus occultis, & ubi deficiunt aliæ probationes, Lazar. *qu. Canon. sect. 1. qu. 9. & qu. 15. per tot. Barbof. allegat. 96. num. 14. & seqq.*

4. Immodò in nonnullis Provinciis mos obtinuit, ut à petente litteras Monitoriales, prius juretur in actis, se via juris ordinaria minimè procedere posse contrà occupantes res, & bona, cum nec plenam nec semiplenam probationem habeat, de qua praxi Graff. *consil. lib. 5. de sent. excomm. conf. 6. num. 19. & illam commendat Lazar. citat. loc. sect. 1. d. qu. 15. num. 6. & quest. 18. num. 2. & ipse collaudo.*

5. **QUÆ A NOBIS REVISÀ, ET APPROBATA FUERE.** Capitula Monitorialia exhibita à partibus, ab Episcopo, sive Vicario Generali revidentur, & postquam revisa, & approbata sunt, datur scripto in calce eorumdem commissio pro publicatione. Hæc autem revisio fit debita ponderatione, & maturitate, & regulariter non admittuntur. Primò, contrà personas certas (quidquid dicat contrà communem Piafec. *prax. Episcop. part. 2. cap. 4. art. 13. num. 8.*) & ità servat Dataria Apostolica, quæ in Monitoriis in forma significavit, apponit clausulam -- *Nonnulli iniquitatis filii, quos N. significans prorsus ignorat.*

6. Secundò, si comparens pro alio non habeat speciale mandatum Procuræ. Tertiò, si instans esset excommunicatus, vel notoriè criminofus, aut Judæus. Quartò, si res pro qua Monitorium petitur, inspecta rei, personæ, & loci qualitate, esset exigui ponderis, & momenti, Lazar. *qu. Canon. sect. 1. qu. 11. n. 1. & per tot.* Quintò, si continerent delictum, vel infamiam, aut delinquentem, ut respondit *Sacr. Congreg. Episc. in Interamnen. 22. Aprilis 1616.*

7. **UT IN SCRIPTIS REDIGATUR.** Revelationes, quæ fiunt vigore Monitorialium, debent redigi in scriptis, non autem sufficit, ut revelatio fiat oretenus,

ad hoc, ut cujus interest, possit in judicio Civili illis uti, Lazar. *ubi supra sect. 2. quest. 3. num. 2. & 3.* Et ideo si publicatio fiat in Civitate, præcipitur in Monitorio, ut revelare debentes compareant in Cancellaria coram Curie Notario: Non tamen defertur revelantibus juramentum, quia cum revelationes fiant ad exonerationem conscientie, illud non exigitur, Lazar. *ibid.*

8. Notarii tenentur revelare Instrumenta per eos confecta, illaque edere omnibus quorum interest; quia illorum officium est publicum, Lazar. *quest. Canon. sect. 3. quest. 1. num. 5.* Et hinc oritur, quod ab Episcopo compelli possunt etiam censuris ad exhibenda Testamenta in ea parte, in qua continent legata pia, Bonacin. *ad præceptum 8. Decalog. disput. 10. quest. 4. punct. ultim. num. 5.* Gavant. *Manual. Episcop. in verb. Notarius num. 15.* Leoncil. *de privil. pauper. verb. denunciatio part. 2. privil. 78. num. 2. & 3.* Et quod Notarius non revelans legata pia teneatur ad restitutionem, docet Graffius *decis. aur. part. 1. lib. 2. cap. 127.*

9. Non tamen Monitorio publicato tenentur revelare. Primò reus, qui rem retinet, quia nemo se infamare debet. Secundò, qui retinet scripturas privatas, quæ vel in judicio fidem non faciunt, vel damnum sibi, suisque parentibus, & consanguineis inferre valent. Tertiò Creditor, qui rem retinet pro suo certo credito, & pro compensatione. Quartò impotens ad restituendum, nisi Creditor sit in eadem necessitate. Quintò Creditor anterior, vel qui rem ritè præscripsit. Sextò, qui bona fide rem alienam pretio numerato emit à Latrone sine spe recuperandi pretium, ut docet Petr. Paul. Guazzin. *in tract. ad defens. Animar. lib. 2. defens. 2. cap. 17. à n. 65. ad 70.*

10. **NEMINI PANDAS.** Non sunt partibus pandendæ revelationes ante concessam per Episcopum, vel Vicarium publicationem, & ideo debent remitti è locis Diocesis sigillatæ, Lazar. *ubi supra sect. 4. quest. 9. num. 7. & 8.* At in Decreto concessionis reve-

revelationum apponatur clausula -- *Ut instans illis non utatur, nisi pro civili interesse, & civiliter tantum agat, alias revelationes ipsæ, neque in judicio, neque extrâ fidem faciant*, quia in criminalibus nihil probant, ut respondit *Sacr. Congr. Episc. in Senogalien. 5. Julii 1619.*

11. Vel exigat Episcopus à petente copias revelationum juramentum, quod illis non utetur, nisi in judicio civili, sic rescriptit *Sac. Congr. Episc. Episcopo Perusino 5. Maii 1593. & Marsicano 21. Martii 1589.* Et si revelationes continerent infamiam, vel aliquid aliud, ex quo oriri posset scandalum, tutius erit illarum copiam denegare: Et tali casu monito de- tentore ad restituendum, si pertinaciter, & indurato corde nollet restituere, repetitis testibus cum juramento, poterit excommunicari, *Januen. prax. c. 1. num. 7. circa medium, Lazar. ubi supra sect. 1. qu. 10. n. 16. Piafec. prax. part. 2. c. 4. art. 13. n. 19. Sac. Congr. Episcoporum in Gallipolitana 7. Junii 1594.*

12. Vel poterunt concedi nomina, &

cognomina testium tantum, qui revelarunt, quos Judex Laicus compellet ad deponendum, & hanc esse praxim Curiae Archiepiscop. Neapolis dicit *Ricc. prax. For. Eccles. part. 1. resol. 252. n. 4. & resol. 254. num. 3.* Si autem revelantes contrarium deponerent in judicio cum examinantur cum interrogatoriis, standum esset huic posteriori depositioni, factæ cum juramento, & non primæ revelationi, nec puniri possent de falso, *Felin. in cap. cum tua de test. Lazar. qu. Can. sect. 2. quæst. 4. n. 6.* Hujusmodi enim testes, qui deponunt metu censurarum pro exoneratione conscientiae de facto verisimili, probant, ut dixit *Rot. de teste unico cor. Peuting. decis. 21. num. 30.*

13. Est hic notandum, quod monitiones, & capitula hujusmodi, non possunt decernere, nec concedere Abbates, aliivè Prælati inferiores, quasi Episcopalem jurisdictionem exercentes, sed pro illis obtinendis debent eorum Subditi Sedem Apostolicam adire, ut declaravit *Sacr. Congr. Concil. 22. Januar. 1598.*

### Monitorii publicandi.

### F O R M U L A X V I.

**D'**Ordine di Monfig. Vescovo N. (ò Vicario Generale) & ad istanza di N. si fà canonica monitione à tutte, e singole persone niuno eccettuato, che havessero, tenessero, & occupassero, ò chi sapesse, che altri havessero, tenessero, celassero, & occupassero qualsivoglia sorte di Beni spettanti, & appartenenti agli Eredi di N. come Terreni, Possessioni, Case, Vigne, Prati, Crediti, Censi, Animalia, Mobili, Massarie di Casa, panni di lino, lana, ò di seta, grano, vino, orzo, legumi, oro, argento monetato, e non monetato, gioje, perle, anelli, ferro, stagno, piombo, ottone, rame, e qualsivoglia sorte di metallo, ò ferro, scritture pubbliche, e private, ò Libri stampati, ò scritti, & ogni altra cosa spettante à N. che quelli, che le ritengono, & occupano, debbano intieramente restituire al detto N. e chi lo sà rivelarlo in scritto avanti N. nel termine di giorni quindici, assegnandosi cinque giorni per il primo, cinque per il secondo, e cinque per il terzo ultimo, e perentorio termine, quale spirato, si verrà alla fulminatione della scomunica. Volendosi però, che le revelationi se accaderà, che siano fatte, non possano servire, se non che per l'interesse, e giudizio Civile.

ADNO-

## ADNOTATIO.

## S I F A C A N O N I C A M O N I T I O N E .

Facta promulgatione Monitorii , & deinde relatione Episcopo in scriptis , si nullæ fuerint datæ revelationes , vel tantum una , aut duæ , antequam ad ex-

communicationis Sententiam procedatur , solent Episcopi iterum Parocho præcipere , ut renovet publicationem cum termino aliorum octo dierum , & quatenus nemo alius compareat , parte instante proceditur ad fulminationem Sententiæ , quæ sequenti Formula , aut simili concipitur .

Fulminationis Sententiæ .

## F O R M U L A X V I I .

## S U M M A R I U M .

- 1 *Quid servet Parochus in publicatione excommunicationis contra non revelantes .*
- 2 *Qui sint effectus excommunicationis .*

Noi N. Vescovo N. ( ò Vicario Generale . )

**C**OLL' autorità ordinaria c' habbiamo da' Sacri Canonie dal Concilio di Trento *scommunichiamo* tutte quelle persone di qualsivoglia stato , grado , e conditione si siano , che non sono comparse nel termine , e termini loro prefissi a fare la restituzione , ò revelatione delle cose contenute , & espresse nel già detto Monitorio in ogni luogo , che si troveranno , dichiarando , che tutte le predette persone , come sopra , *scommunicate* come membri putridi , e separati dalla comunione de' fedeli sono privi , incapaci , & indegni d'ogni bene spirituale , e della participatione delle buone opere , & in essa *scommunica* stiano fin tanto che usciti dal peccato colla restituzione , ò revelatione meritino d' essere assoluti . Dato &c.

N. Vescovo ( ò Vicario Generale N. )

N. Cancellarius Episcopalis .

## ADNOTATIONES.

1 **S**COMMUNICHIAMO . Parochus , vel alius Ecclesiæ Rector , dum publicè in Ecclesia Sententiam excommunicationis fulminat , tenet manibus candelam accensam , & in fine candela in terram projecta , & extincta , pedibus eam conculcat , interim campana Ecclesiæ paulatim pulsante , juxta formam traditam à Joanne

XXII. in Extravag. commun. unic. de furt.

2 Ut autem populus effectus excommunicationis pertimescat , & caeremoniarum Ecclesiæ significationem percipiat , Parochus post publicatam Sententiam , immediatè illum instruat . Primò , quod ipse Sacerdos Christum repræsentat excommunicantem . Secundò , quod projectio candelæ , & ejusdem extinctio , & campanæ pulsatio , excommunicatum quasi

quasi mortuum significat, utpotè à Christi corpore, tamquam palmitem à vite præcisum. Tertio, quod conculcatio candelæ pedibus facta, patefacit, excommunicatum sic ab Ecclesia ejectum, traditum esse Dæmoni torquendum, & ab eodem, & Angelis ejus in Inferno conculcandum, nisi respiscat. Quarto, quod excommunicatus in hac vita infervit Diabolo, qui potestatem habet in eo, sicut in pecore, & utitur eo, sicut rusticus asino.

Licentiæ celebrandi Missam pro Sacerdote alienæ Diœcesis statim non discessuro.

FORMULA XVIII

SUMMARIUM.

i Licentiâ Missam celebrandi in Diœcesi, Presbyteris exteris, quibus conditionibus sit concedenda.

N. Vescovo N.

**C**oncediamo licenza di celebrare la Santa Messa nelle Chiese di questa Città, e Diocesi (eccettuate le Chiese delle Monache) al R. D. N. d'età d'anni . . . . Sacerdote della Diocesi N. come consta per lettere commendatitie del suo Ordinario in data delli . . . . esibite nella nostra Cancellaria, colle infrascripte conditioni.

Che non habiti in case dove siano Donne; Non tenga Serva, ò Massara in casa sua benche Parente, senza nostra licenza in scritto.

Che nelli giorni Festivi assista nella Chiesa Parochiale, sotto cui sarà la sua habitatione, alle Messe cantate, e Funzioni solenni.

Che debba confessarsi sacramentalmente almeno una volta la Settimana, e notarsi ogni volta, che celebrerà Messa, nel Libro della Chiesa ove avrà celebrato.

Che porti la chierica, e tonsura decente de' capelli, e celebri sempre in Città con veste talare sotto pena di sospensione à Divinis, intendendosi proibite per quest'effetto le vesti finte, e lacere.

Che nella renovatione della presente licenza debba portar fede giurata del Parocho, ò del Confessore d'aver adempite le dette conditioni, e d'essere vissuto esemplarmente, altrimenti non gli si concederà altra licenza, e la presente vaglia per sei mesi. In fede &c.

N. Vescovo (ò Vicario Generale) N.

Luogo ✠ del Sigillo.

N. Cancelliere Vescovale.

ADNOTATIO.

**C**OLLE INFRASCRITTE CONDITIONI. Conditiones, quæ includuntur in hac Formula licentiæ pro Sacerdotibus exteris, & ad tempus commoraturis in Civitate, aut alio loco Diœcesis, sunt valde utiles ad explorandos mores Presbyterorum vagantium, & sæpè adventantium ex causa non bona, à Diœcesibus conterminis: Undè Episcopus in praxi

ab illis non recedat, quia ipsum non pœnitebit servasse.

Licentiæ fundandi Monasterium.

FORMULA XIX.

SUMMARIUM.

i Regulares Sancti Francisci Ordinis Minoris Observantia Mo-



- Monasteria non possunt erigere sine consensu Diffinitorii Provinciae.
- 2 Ordinarius non potest concedere licentiam nova Monasteria fundandi, nisi servata forma Const. Apostolic. Clem. VIII. & Gregor. XV. & Urbani VIII.
  - 2 Constitutiones Apostolicæ pro erigendis novis Conventibus sunt servandæ etiam extra Italiam.
  - 4 Neque in translatione Conventus, qui fit in alio situ ejusdem loci.
  - 5 Etiam si fiat propè alium Conventum non servata distantia à privilegiis opponentium requisita, & n. 6. 7. 8. & 9.
  - 10 Declaratur Decretum contrarium.
  - 11 Nec servandæ sunt in Domibus Congregationum Presbyterorum secularium collegialiter viventium.
  - 12 Item servandæ sunt in erectione Conventuum tam Regularium Mendicantium, quàm non Mendicantium.
  - 13 Item in reassumptione Conventus antea derelicti.
  - 14 In reassumptione Conventus derelicti, non reassumuntur jura precedentia, nisi expressè concedantur.
  - 15 Hospitia Regularium non sunt toleranda, nisi servatis conditionibus præscriptis à Sacra Congregatione, & num. 16.
  - 17 Non tamen servandæ sunt dictæ Constitutiones in erectione Monasteriorum Monialium, & n. 18.
  - 19 Conservatoria non fundantur, neque eriguntur, sed tolerantur, & afferuntur exempla, & n. 20.
- Conservatoria licet visitentur ab Episcopo non per hoc censentur approbata.
- 21 Quæ sint observanda in erectione Conventus Monialium.
  - 22 Moniales debent stare sub jurisdictione Ordinariorum, & afferuntur exempla n. 23. 24. & 25.
  - 26 Monasterii unius fundatio acquirit antianitatem pro aliis Monasteriis ejusdem Ordinis.
  - 27 Religiosi Ordinis S. Francisci non possunt in fundatione recipere assignamenta pro victu, neque legata perpetua Missarum.
  - 28 Regulares, qui bona possident in communi, licet privilegio Mendicantium gaudeant, possunt ad novam Conventus fundationem admitti cum obligatione non quæsuandi.
  - 29 Et etiam cum obligatione, & prohibitione acquirendi stabilia, etiam sine Beneplacito Apostolico.
  - 30 In concessione licentiæ pro nova fundatione Conventus præservandæ sunt jura Parochi.
  - 31 In fundatione novi Conventus exigitur simul consensus Ordinarii, & Sedis Apostolicæ.
  - 32 Licentia fundandi nova Monasteria potest dari à Vicario Generali, nisi habeat speciale mandatum.
  - 33 Fundationes Cappuccinarum non admittuntur sine certo, & perpetuo Asscuratore.
  - 34 Asscuratores debent esse loca pia: At aliquando admittuntur etiam personæ particularos facultatibus idoneæ, & afferuntur exempla.
  - 35 Moniales non debent habere prospectum in Ecclesiam secularium, nec Regularium virorum.

N. Episcopus N.

**T**ibi R. P. N. Ordinis N. Provinciae N. Provinciali, ut unà cum Diffinitorio, *cujus consensum exhibuisti*, ac servatis in reliquis Constitutionibus Ordinis, *constito Nobis duodecim Religiosos tuæ Religionis commodè sine aliorum detrimento sustentari posse*, Monasterium, seu Conventum in loco N. hujus nostræ Diocesis extruere, & fundare possis, sine tamen præjudicio Ecclesiarum Parochialium dicti loci, ac nostræ Cathedralis, licentiam, & facultatem, quantum ad Nos spectat, concedimus, & consensum præstamus,

Monacelli Form. Pars I.

P

dum.

dummodò aliquid revelans, quod fundationi obstare possit, non superveniat. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **C**UJUS CONSENSUM EXHIBUISPI. Apud Minoritas Observantes, nova Monasteria non eriguntur, neque jam erecta deferuntur sine consensu Diffinitorii Provinciae, ut testatur Lantusc. in *Theat. Regular. verb. Conventus num. 6.* & propterea si agatur de fundatione Monasterii hujus Religionis, consensu Diffinitorii non exhibito, non erit locus erectioni, quamvis cætera requisita concurrant, *Sac. Congreg. Episcop. in Aquinaten. pro loco Arcis 12. Februar. 1694.*

2. **CONSTITO NOBIS.** Licentia Ordinarii pro novis erigendis Monasteriis, præsertim mendicantium, non est concedenda, nisi constituto, quod Religiosi de novo introducendi possint absque præexistentium detrimento congruè sustineri, & servata forma Constitutionum Apostolicarum Clem. VIII. & Gregorii XV. ut tradunt Pasqualig. ad Lauret. de *Frac. par. 1. n. 421.* qui propositionem hanc sic firmat: *Cum autem debeat Ordinariis constare de commoda sustentatione absque præexistentium detrimento, si verè non constaret, nulliter procederent concedendo erectionem, & graviter peccarent, nam in re gravi violarent Constitutionem Pontificiam.*

Idem similibus verbis firmat quoque Ventrigl. *prax. rer. notabil. p. 1. adnotat. 18. n. 10.* ibi-- *Nota primò, quod Episcopus, vel alius ordinarius, non debet concedere licentias pro erectione novorum locorum, nisi servata forma prædictarum Constitutionum, & signanter, non nisi eis constituto, quod in loco erigendo duodecim Religiosi ali, & inhabitare possint, & nu. 22.* ibi-- *Nota tertio in hujusmodi novis erectionibus debere constare Ordinariis, Religiosos in statuto numero duo-*

*decim posse absque detrimento aliorum Regularium intrà distantiam quatuor milliarium commode, & congruè manteneri.*

3. Constitutiones autem, de quibus hic sermo est, innovavit, & iterum servari mandavit Urb. VIII. sua Bulla impressa in *rom. 4. Bullar. la 25.* quæ servandæ sunt non solum in Italia, sed etiam in aliis Provinciis ultra Montes, ut declaravit *Sacr. Congreg. Propagandæ Fidei de anno 1638.* teste Nicol. in *Jose. verb. Conventus n. 1.* & iterum roboravit Innoc. X. Constitutione, quæ incipit *Instaurandæ* §. 5. & omnes in Appendice hujus Operis per extensum dabuntur.

4. **EXTRVVERE, ET FVNDARE.** Non sunt enim prædictæ Constitutiones servandæ in translatione Conventus, qui fit in alio situ ejusdem loci, vel ob periculum ruinæ fabricæ Conventus antiqui, vel in salubritatem aeris, vel aliud grave incommodum; quia hæc non dicitur nova fundatio, & oppositiones aliorum Regularium obstare non valent sic respondit *Sac. Congreg. Episcop. in Gerunden. 19. Septembr. 1687.* his verbis: *Sacra &c. in causis, & causis vertentibus inter Fratres Carmelitas Calceatos Civitatis Gerunden. ex una, & PP. Societatis Jesu, Carmelitas Excalceatos ejusdem Civitatis, & litis consortes partibus ex altera, de, & super translatione, fundatione, & constructione Ecclesiæ, & Conventus dictorum Fratrum Carmelitarum Calceatorum in Domibus de Abrich per ipsos inhabitatis, partibus auditis, referente Eminentissimo S. Cecilie censuit, & declaravit, supradictæ translationi, fundationi, & constructioni Ecclesiæ, & Conventus eorundem Fratrum Carmelitarum Calceatorum in præfatis Domibus de Abrich, Constitutiones Apostolicas non observare.*

stare. Cujus Decreti exemplar authenticum habeo.

5. Verumtamen si translatio fieret ad situm, in quo reperirentur constructi alii Conventus, qui privilegium habent, quod nova Monasteria non erigantur, nisi servata certa distantia, dubium oriretur, an Regulares præexistentes possent se opponere translationi? Nam cum aliàs contigisset casus inter PP. Cappucinos, & Min. Observantes Corleonis Diæcesis Montis Regalis, Sac. Congreg. Episcop. sic respondit--*Særa, &c. ad relationem Eminentissimi Cæsarini, utraque parte informante, iterum negotio maturè discusso, censuit Constitutiones, & Decreta Apostolica super novorum Conventuum erectionem edita, etiam in qua parte disponunt de distantia servanda inter Conventus jam erectos, & erigendos, non habere locum cum mutatur situs Conventuum jam erectorum in eodem loco ac proinde standum esse in decisis, præmissis, cæterisque contrariis non obstantibus Romæ 9. Maii 1642. cujus Decreti exemplar est apud me pariter authenticum.*

6. In alia verò Panormitana inter PP. Olivetanos, & PP. Carmelitas Calceatos, in qua opponebatur distantia novæ fabricæ Conventus transferendi, ad relationem clar. mem. Petrucci sub die 1. Junii 1696. respondit--*Non esse locum translationi.*

7. Et in Argentina inter PP. Cappucinos, & PP. Minores de Observantia Reformatos, in qua pariter opponebatur intercapedo novæ fabricæ, ad relationem Card. Denhoff. sub die 28. Martii 1697. censuit--*Essè locum translationi factò verbo cum Sanctissimo.*

8. Et, denum, quod translatio Conventus non sit licita, non servata distantia juxtà privilegia aliquarum Religionum, quatenus fiat oppositio, tenent Donat. *prax. rer. Regular. tit. de Monaster. edific. tom. 1. par. 2. tract. 1. quæst. 26. num. 6. 7. & 8. Passerin. in cap. unico num. 87. de excess. Prælat. in sexto*, qui Authores plura Decreta allegant, quibus eorum opinio comprobata remanet, Pignatell. *conf. 12. tom. 10.*

9. Ast horum sententia licèt de juris rigore videatur verior, ex eo quia privi-

legiis de distantia ex diversa causa concessis nullibi derogatum appareat: Nihilominus, ut experientia demonstrat, non servatur in magnis Civitatibus, non solum quia privilegia hujusmodi sunt antiquata, sed etiam quia de æquitate, quod tibi non nocet, & alteri prodest, concedere compelleris, *l. 2. §. Item varrus, ff. de acqu. plur. arc. & magna æquitas temperat rigorem juris, ut loquendo de servitutibus dicit Tusch. litt. P. conclus. 863. n. 12. Præjudiciaque non ex ista nova causa, sed à jam præexistenti proveniunt.*

10. Sicque tenendum arbitror, quod quando nova fabrica non extollatur ad æmulationem, aut indè notabile præjudicium luminibus vicinæ non inferat, vel servitutum intolerabilem prospectus non inducat, aut imponat, Regulares præexistentes non possint se opponere translationi, quamvis distantia à privilegiis requisita non servetur; & hoc probant Decreta suprà relata in Montis Regalis, & in Agrigentina; quibus contrarium non est aliud emanatum in Panormitana, quia Olivetani, qui translationem postulabant succubuerunt, non quia unice eis obfaret distantia opposita à Carmelitanis, sed præcipue quia Ordinarius assensum translationi non dederat: ut patet ex toto integro rescripto in Voto dictæ Causæ extenso tenoris sequentis--*Non esse locum translationi, & scribendum Archiepiscopo juxtà mentem, & mens est, quod exquiratur præcisà mens, & voluntas Archiepiscopi.*

11. Neque sub lege dictarum Constitutionum comprehenduntur Congregationes Presbyterorum secularium collegialiter viventium, & sola auctoritate Ordinarii fundatæ, & erectæ, ità decisum refert Nicol. *in fosc. verb. Conventus n. 1. ibi--Sub Decreti super erectione novorum Conventuum non comprehenduntur Congregationes Presbyterorum secularium in communi viventium, erectæ auctoritate ordinaria 1623. Capaccio 13. Januarii; Et hanc sententiam tenuit quoque Sac. Congregat. Concil. 9. Augusti 1625. Ex lib. 12. Decret. fol. 298. & fusè tuetur (contraria explosa) Passerin. in cap. unico num. 35. & seqq. de excess. Prælat. in sexto tom. 3. pag. mibi 369.*

12. Verum è contra servanda sunt in erectione Conventuum Religiosorum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, quia præjudicium præexistentium consideratur non tantum quoad quæstum, sed etiam quoad receptionem Sacramentorum, & ex quocumque alio capite resultans, Pasqualig. ad Franch. part. 1. qu. 22. n. 480. Pignat. consult. 179. nu. 41. & 42. tom. 1. & à PP. Societatis Jesu, ut probat Fagnan. in cap. Non amplius n. 52. & 53. de instt. Sac. Congregat. Epis. in Montis Regalis 21. Aprilis 1690.

13. Item servanda sunt ab illis Regularibus, qui redeunt ad Monasteria, quæ antea dereliquerant, ut respondit Sac. Congreg. Episcop. Archiepiscopo Turritano 17. Novembris 1617. his verbis--Cum Archiepiscopus Turritanus sacram hanc Congregationem consulisset, an in reassumptione Conventuum Fratrum Minorum de Observantia sua Diœcesis, quos ipsi jam pridem deseruerant, servandum sit Decretum fel. record. Clemen. Papæ VIII. super novorum Conventuum erectione editum, Illustrissimi ejusdem Congregationis PP. id omnino servandum esse censuerunt.

14. Et hinc oritur, quod in reassumptione Conventus derelicti, & postea ex gratia restituti, non reviviscunt jura præcedentiæ, quibus antea Regulares illius potiebantur super alios existentes in loco: Nisi fortè restitutio concederetur ex justitia, vel etiam ex gratia, sed plenariè quoad omnia: Cæterum si Regulares restituantur simpliciter ad locum, præcedentia in Processionibus, & aliis actibus, debetur præexistentibus, quia talis reassumptio, seu restitutio habetur pro nova foundatione, Sac. Congregat. Rituum in Senogallien. Præcedentiæ referente Eminentissimo Pamphilio 21. Januarii in prima, & 1. Septembris 1696. referente in secunda Causæ propositione clar. mem. Card. Petruccio.

15. Item, non solum Decreta Apostolica servanda sunt in foundatione Conventuum, sed rigidius in apertione Hospitiorum, quæ permitti nullatenus debent ab Ordinariis, (postquam Regulares obtinuerint licentiam à Sacra Congregatio-

ne) nisi ad unguem servatis conditionibus pro Hospitiis præscriptis in sequenti Decreto emanato in Casâ Calaguritana de Bilbao, quod est--Patres Carmelitas Discalceatos posse continuare in Hospitio, vel potius ipsum reducere ad Hospitium Sæculare cum habitations, quæ tantummodo deseruiat pro recipiendis Religiosis itinerantibus, quod in illo nulla servetur forma Regularis, non erigatur Ecclesia, seu Oratorium formale cum Janua in publica via, sed tantum Oratorium internum ad effectum inibi Missas, & Orationes privatas pro eorum spirituali usu tantum celebrandi. Quod in illo Sacramenta non administrantur, nec fiant publicæ Conciones, nec Divina, aliæque functiones peragantur, nec tumulentur Cadavera, nec retineatur campana, nec aliquod signum, quod vero Conventui adaptetur, & transcendat naturam, & conditionem meri, & simplicis Hospitii Sæcularis, addita prohibitione quæstionandi, necnon quod Regulares ad illud se transferebant non assumant titulum Præsidentis, vel alterius Officialitatis, subjiciendo ulterius in casum contraventionis ipso facto poenis contra Religiosos degentes extra Clausura, non obstante quacumque exemptione, aliisque arbitrio Sac. Congreg. Et quod super observantia præmissorum Provincialis, & Diffinitorium validè se obligent coram Episcopo, qui Instrumentum dictæ obligationis ad eandem Sac. Congregat. transmittat. Romæ decimaquinta Septembris 1690.

16. Hanc Hospitii legem eadem Sac. Congreg. Episcop. & Regular. servari mandavit in Arrien. Hospitii à PP. Discalceatis S. Augustini 31. Augusti 1691. & in Voliterna à Carmelitibus Discalceatis 5. Decembris 1692. in utraque referente clar. mem. Card. Petruccio. Undè si Episcopus in sua Diœcesi Regulares contra præscriptam formam hospitari reperiat, utatur jure suo, & Sac. Congreg. instructam reddere festinet.

17. An verò censura dictarum Constitutionum comprehendat fundaciones Monasteriorum Monialium: Tambur. de jur. Abbat. disput. 33. quæst. 1. per tot. Donat. de Regular. tom. 1. par. 2. tract. 1. quæst. 21. pariter per tot. tenent, quod sic.

Sed

Sed tu unà cum Pasqualig. ad *controv. de Franch. par. 1. n. 478. & 489.* contrarium sequere, sicuti & ipse sequor. Quia Monasteria Monialium non fundantur in paupertate, sed cum assignatione, & redditibus certis, qui sufficiant pro illarum manutentione; cessatque omne aliud prejudicium à Constitutionibus Apostolicis, & DD. consideratum tam quoad quæstum, quàm quoad perceptionem Sacramentorum, ac elemosynarum pro Missis, necnon Sepulturæ.

18 Et hanc sententiam verissimam esse demonstrat praxis Sac. Congr. quæ requisita Constitutionum Apostolicarum, de quibus nunc loquimur, non exigit pro Monialibus, sed habita informatione, & consensu Episcopi Ordinarii, ac constituto fabricam Monasterii esse capacem, & in omnibus suis partibus absolutam, dotemque esse tutam, ac sufficientem saltem pro duodecim Monialibus, concedit gratiam foundationis, nemine alio vocato, ut decies, & vigesies per spatium 14. annorum, vidi, præ manibus Decreta habui, & extendi.

19 Conversatoria autem Puellarum, quæ collegialiter vivunt absque Votis solemnibus, & Clausura, non eriguntur, neque fundantur, sed tolerantur ad custodiendam honestatem Puellarum pauperum Virginum, ac Patre, vel Matre carentium: Et ideo pro his fundandis, neque pro illorum gubernio non expediuntur Decreta Sac. Congregat. sed liberè relinquuntur sub cura Ordinariorum locorum permissivè: Et exemplum habemus in una *Imolen.* in qua cum PP. Olivetani Beneplacitum Apostolicum postulassent pro alienatione Ecclesiæ S. Matthæi cum Horto, & Domuncula ruinam minantibus, in Tertiarias S. Dominici pro fabrica Conservatorii, & Ordinarius favorabiliter informasset, sub die 20. Februarii 1693. ad relationem clar. mem. Card. Petrucci, fuit responsum -- *Dilata, & informant omnes, & ad mentem. Mens est, quod Sac. Congr. non approbat Conservatoria neque expressè, neque tacitè, sicuti eveniret, si concederetur Beneplacitum.*

20 In Congregatione Concilii 14. Februarii 1699. cum exponeretur sic -- In *Monacelli Form. Pars I.*

Civitate Panormi adsunt plures Congregationes Mulierum sub habitu, & regula Sanctæ Mariæ de Mercede, Divi Dominici, & S. Theresiæ Vota simplicia dumtaxat emittentium, & nullam habentium obligationem perpetuæ Clausuræ. Ad instar istarum congregatæ de anno 1697. nonnullæ piæ, & devotæ Mulieres cum licentia Archiepiscopi in quadam privata Domino animo ducendi vitam communem sub regula, & ordine Visitationis B. Mariæ Virginis à Divo Francisco Salesio instituto, supplicarunt nuper Sanctissimo pro facultate tam induendi habitum dictarum Monialium cum sola emissionem Votorum simplicium, quàm erigendi Cappellam, seu Oratorium pro Missis ibidem audiendis, Sacramentisque recipiendis absque necessitate accedendi ad Ecclesiam PP. Oratorii, sub quorum directione degunt. Remissis autem precibus ad hanc Sac. Congregat. pro Voto datæ fuerunt litteræ ad Archiepiscopum, qui exposita confirmat, & censet posse in omnibus indulgeri; undè exquiritur in præsentem Congregationem -- An, & quomodo petite facultati sit annuendum. Sacra Congregatio respondit -- *Negative.* Et meritò, quia hujusmodi Congregationes Mulierum sunt contrà dispositionem Bullæ Pii Quinti. Quibus autem istæ Virgines collegialiter viventes sint capaces, vide *Cyriac. contrav. 504.*

Et licet Conservatoria hujusmodi ab Episcopo visitentur, non per hoc censentur approbata, *Sac. Congreg. Concil. 1608. apud Nicol. lucubr. can. lib. 3. tit. 29. de visit. ampl. 11.*

21 In erectione autem Monasterii Monialium Episcopus antequam consensum præbeat, præ oculis habeat sequentia. Primò, quod bona pro Dote foundationis assignata sint tuta, & sufficientia pro vita communi. Secundò, quod non erigatur in loco parvo, & in quo copia Confessariorum non adest, vel nisi Moniales sint tam facultosæ, ut exterum Confessarium valeant sustentare, *Sac. Congregat. Episcop. 13. Septembris 1583.* Tertiò, quod non erigatur propè Monasteria Virorum, juxta dispositionem *Canon. Monasteria puellarum 18. quest. 2. & Decreto-*

cretorum novissimorum in *Asculana* 5. *Maii* 1690. & in *Brundusina* 16. *Januarii* 1693. Quarto, quod fundator Monasterii potest in limine foundationis apponere conditiones sibi bene visas, quamvis juri communi contrarias, & dummodo non sint turpes, & contra bonos mores, vel jura sibi non reservet, quibus sit incapax, puta eligendi Abbatissam, *glos. in cap. nobis vers. vel expens. de jur. patr. Add. ad Buratt. decis. 1. num. 15. & ideo tenetur Episcopus illas admittere, ne laici à foundationibus retrahantur, cap. Eleutherius 18. quæst. 2. clem. quia contingit de relig. Dom. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. glos. 5. n. 47. 102. & 103. Barbol. supra Concil. cap. 9. sess. 22. de refer. n. 27. & 28. Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 32. num. 14. & 15. Quinto, quod Moniales cujusvis ordinis, & regulæ sint, debeant ad evitandas dissensionem, & jurgia subiacere jurisdictioni Ordinarii, non autem Regularium, sine qua conditione constanter consensum dare renuat; quia hæc conditio, quod novæ Moniales subiacere debeant jurisdictioni Regularium, & non proprii Ordinarii, cui de jure defertur, *cap. cognovimus 18. quæst. 2. inter injurias repugnanda est, & privatorum dispositio non debet, nec potest generalem Constitutionem Canonum immutare, Innoc. in cap. Lateranen. num. 5. de præb. & dignit. Piafec. prax. Episc. par. 2. cap. 3. art. 5. de visit. benef. simplic. num. 9. Passerin. in cap. religiosus, §. sanè num. 106. & seqq. de testam. in 6. Sexto, quod præfigatur numerus Monialium, *Sacr. Congr. 27. Maii 1603.***

22 Et non tantum expedit, quod Monasteria Monialium de novo erigenda subiciantur locorum Ordinariis, sed etiam jam fundata, ut melius clausura custodiatur, & non solum id petentibus Monialibus, ut evenit in *Orilien. 18. Augusti 1690. contra Augustinianos, in Malacitana 21. Martii 1697. contra eisdem, in Januen. 24. Januar. & 13. Martii 1698. contra Min. Observantes, & in Vicen. in Hispania 18. Februar. 1701. contra Carmelitanos Calceatos, in quarum ultima exemptæ fuerunt Moniales a jurisdictione Regularium non obstante fundatoris dis-*

positione, sed etiam ex officio auctoritatem habentis, & ad omnem simplicem recursum, & querelam mali regiminis, quia est materia favorabilis, & fit reditus ad jus commune, *d. cap. cognovimus 18. quæst. 2.*

23 Ad quod prudenter animadvertens *Sacr. Congr. in una Salernitana pro Universitate Terræ Ebuli*, in qua petebatur restitutio Monasterii Monialium derelicti, & extincti usque de anno 1633. ob defectum personarum, quod subiciebatur regimini Monachorum Cassinensium, constituto, quod redditus multiplicati ascendeant ad scutor. 400. annua in bonis stabilibus, ad relationem Eminentissimi Card. Colloredi 13. Februar. 1692. fuit concessa restitutio cum clausula --- *Dummodo Monasterium sub jurisdictione immediata Archiepiscopi remaneat.*

24 Et in alia *Pampilonen.* ad relationem clar. mem. Card. mei Petruccii noluit fundationem pro Monialibus Recollectis exalceatis approbare, ex quo jurisdictioni PP. Min. de Observantia se se sponte subiciebant, sed jussit scribi Ordinario juxta instructionem dandam à Cardinali Ponente, sub die 20. ejusdem mensis Februarii 1699.

25 Et ejusdem sensus fuit *Sac. Congr. Concilii*, quæ de mense Maii 1699. tenendo votum traditum ab eodem Card. Petruccio in alia *Ulyssiponen.* novam fundationem Conventus pro Monialibus Conceptionistis concessit, & approbavit sub conditione, quod jurisdictioni Ordinarii plenarie subicerentur.

26 Modoque redeundo ad erectionem Conventuum virorum notandum est, Primo, quod fundatio unius Monasterii acquirit antianitatem pro aliis Monasteriis ejusdem ordinis, licet posterius, & recentior fundatis, *Lantusc. theatr. regular. verb. præcedentia num. 11. Pignatell. consult. 19. num. 13. tom. 4. Card. de Luc. de præminen. disc. 25. num. 5.*

27 Secundo, quod in fundatione Conventuum Min. de Observantia, Reformatorum, Recollectorum, & Capuccinorum Ordinis, & Regulæ S. Francisci, non debent recipi, nulloque modo admitti obligationes, & præstationes annuæ

næ Universitatum, aut particularium Benefactorum, neque legata, & onera perpetua Missarum, aliudque assignamentum pro manutentione Religiosorum introducendorum; quia horum omnium sunt hi penitus incapaces, nec absque culpa gravi, & violatione Regulæ, hæc recipere, aut possidere sub quovis palliato nomine possunt. Etenim Beatissimus Franciscus suam Religionem in vera paupertate fundavit, & vult, & præcipit, quod ejus filii, & sequaces, amplectantur regulam sine glosa, & in dies ex ostiaria mendicitate vivant, ut observat Carol. Ant. de Luc. ad Ventrigil. part. 1. adnot. 1. §. 4. n. 3. & plenissimè declaravit Rot. in Turritana legatorum sub diebus 10. Januarii 1695. & 6. Aprilis 1696. cor. Emerix, cujus votum exquisierat, & exequi postea mandavit Sac. Congr. Episcop. & Regul. sub die 24. Maii 1697.

28 Tertiò, quod cæteri Regula res, qui possessionis bonorum, & annuorum reddituum capaces sunt, quamvis Ordinum Mendicantium sint, possunt ad novas fundaciones admitti, recepta eorundem obligatione non quæstuan-di, ut admittit Sac. Congreg. Episc. in Tortonen. pro PP. Scholarum Piarum ad relationem clar. mem. Card. Petrucci sub die 4. Julii 1692. in qua rescripsit --- Annuendum fundacioni cum strictissima obligatione non quæstuan-di.

29 Immo, quod possint admitti cum prohibitione acquirendi stabilia, etiam absque beneplacito Apostolico, probat Nicol. lucubr. can. lib. 3. tit. 31. de regular. post num. 16. vers. opinio Bussebau. quam sententiam non solum libenter sequor, sed optarem quod id, quod est facultatis, fieret provisione, & Decreto Apostolico tam pro erigendis, quam pro jam erectis, necessitatis. Quia cum Regulares possidentes, & Collegia habentes, ubique terrarum diffusi, majorem partem facultatum, & substantiarum secularium jam absorberint, adeo ut hodiè laici Universitatum, & locorum pane indigeant, ne calamitatibus, & miseris (quæ hac nostra tempestate justo Dei judicio inundaverunt faciem terræ) magis in dies premantur, necessariò su-

per hoc consulendum, & providendum videtur.

30 SINE TAMEN PRÆJUDICIO ECCLESiarUM PAROCHIALIUM.

Jura Parochialia præservanda sunt, ne Parochi jam ob multitudinem Regularium ad nihilum redacti, & quasi ob exiguam partem antiquarum præminentiarum, quam hodiè retinent, contempti, Curam negligendo, etiam mendicare cogantur, prout præservari jussit Sac. Congreg. in Tiburtina fundacionis Conventus 28. Febr. 1698. referente Eminentissimo Acciajolo.

31 QUANTUM AD NOS SPECTAT.

In novis fundacionibus non solum exigitur consensus Ordinarii sed etiam Sedis Apostolicæ copulativè, & tam intrà, quam extra Italiam, & ultra Montes, prout firmavit Rot. coram Cels. dec. 60. & num. 97. & in Cesaraugustana fundacionis Conventus 18. Maii 1657. coram Bevilacqua; quod est contra Fagnan. in cap. non amplius de institut. num. 71. putantem, quod ultra Montes fundaciones fieri possint cum sola licentia Ordinariorum.

32 Hæc autem licentia dari non potest à Vicario Generali Episcopi, nisi ad hoc habeat speciale mandatum, Barbof. supra Concil. sess. 25. cap. 3. num. 30. de regul. Donat. prax. rer. regular. tom. 1. part. 2. tract. 1. quæst. 18. Pasqualig. ad Laur. de Franch. part. 1. num. 505. Nicol. in fosc. verb. Conventus sub num. 3.

33 Si verò ageretur de fundacione Monasterii Monialium sub rigorosa primitiva Regula S. Claræ, quæ bona immobilia & stabilia possidere non valent, tunc deberet dari perpetuus assecurator victus, aliàs erectio non admittitur, ut præter antiquiora Decreta relata à Nicol. in fosc. verb. Capuccini num. 6. & verb. Monasterium n. 7. iterum declaravit Sac. Congreg. Episc. in Ispalen. fundacionis Conventus Capuccinarum Madriti 6. Julii 1696. referente Eminentiss. Colloredo.

34 Et quamvis assecuratores hujusmodi non debeant esse personæ privatae, sed Confraternitates, aut alia loca pia, quæ habeant facultates sufficientes ad manutenendas dictas Moniales, ut

præscribunt dicta Decreta à Nicolio supra relata : Nihilominus, in una Brixiën. 18. Julii 1692. pro assecuratione victus novæ foundationis Conventus Cappuccinarum in loco Caprioli, fuerunt admittæ obligationes validæ duorum Nobilium Venetorum : & in alia Veronen. 18. Aprilis 1698. in fundatione alterius Conventus ejusdem Regulæ concessa Terræ Lonati, fuerunt admittæ obligationes legaliter stipulatæ duorum particularium dicti loci facultatibus idoneorum, in utraque referente clar. memor. Card. Petruccii.

35 Et tandem advertat Episcopus, quod nullo modo debet permitti, quod in fundatione Monasterii, nec postea Moniales habeant prospectum, vel retineant Crates correspondentes in Ecclesia Presbyterorum sæcularium, sive Regularium pro audienda Missa, sub prætextu, quod non possint ob illorum paupertatem manuteneere Cappellanum: sed ubi inveniat adesse, & retineri, omnino mandet removeri: prout ita fieri jussit Sac. Congr. Episcoporum. in Trojana adversus Moniales Annuntiatæ Foggie ad relationem clar. mem. Card. Petrucci 27. Februarii 1693. quæ cum parere distulissent variis excusationibus, iterum recurrentibus Canonicis Collegiatæ, in quorum Ecclesia prospectus in vim Concordiæ retinebatur, 16. Novemb. 1696. eadem Sac. Congr. rescripsit -- Episcopus omnino intra mensem Decreta Sac. Congregationis exequatur, & procedat ad destructionem transitus.

Licentia exponendi Eucharistiam.

F O R M U L A XX.

S U M M A R I U M.

- 1 Regulares non possunt publicè exponere Sacramentum Eucharistiæ sine licentia Episcopi.
- 2 Neque alii exempti, non habentes jurisdictionem in populum.
- 3 Confraternitate laicorum exponentes de licentia Ordinarii Eucharistiam,

Parochus si velit, & non Cappellanus benedicat populum.

- 4 Licentia exponendi publicè Eucharistiam est danda Regularibus in scriptis, & de ratione.
- 5 Licentia simpliciter concessa pro unica vice intelligitur data.
- 6 Licentia non extenditur ultra petita.
- 7 Licentia differt à gratia, quia illa non ligat successorem, secus in gratia.
- 8 Regulares, pro quibus rebus, & casibus teneantur licentiam petere ab Episcopo.
- 9 Regulares in pluribus subjiciuntur jurisdictioni Episcopi, & enumerantur casus à num. 10. ad 28.  
Regulares in civilibus nisi habeant Conservatorem conveniuntur coram Episcopo.
- 29 Regulares Religionis suppressæ non remanent liberati à votis.
- 30 Regulares in quacumque alienationis specie tenentur petere, & obtinere licentiam à Sac. Congr. Concilii.
- 31 Licentia alienandi datur à Sac. Congr. Concilii gratis.
- 32 Regulares Dominicani non habent jus visitandi Confraternitates erectas in eorum Ecclesiis.
- 33 Neque superintendentiæ spiritualis super illas, quæ reperiuntur erectæ extra illorum Ecclesias.
- 34 Regulares non possunt apponere Interdictum in Ecclesia ipsi subjecta.
- 35 Regulares possidentes bona in communi tenentur solvere procuracionem Visitatori Apostolico.
- 36 Regulares non possunt ab Episcopo ordinari extra tempora, nisi habeant Indultum speciale, & non per communicationem.
- 37 Abbates, & alii Superiores Regulares nequeunt residere in privatis domibus.



## Illustrissimo, e Reverendissimo Signore.

**I**L Priore, e PP. del Convento N. di questa Città volendo sodisfare alla pia divotione del popolo, che lo ricerca, e per implorare dalla Maestà Divina la serenità del Cielo tanto necessaria per la conservazione delle messi nella corrente stagione, la supplicano della licenza di potere esporre in publico nella loro Chiesa il Venerabile Sacramento. Che il tutto &c.

N. Priore del Convento N.

Attentis narratis, & dummodò expositio fiat publicè in Altari majori Ecclesie decenter ornato, accensis saltem sexdecim luminibus ceræ albæ elaboratæ, non concionetur, & benedictio solemnis populo detur ante occasum Solis, pro duabus vicibus intra currentem hebdomadam explendis, *licentiam petitam concedimus.* Datum &c.

N. Episcopus five Vicarius Generalis N.

N. Cancellarius Episcopalis.

### ADNOTATIONES.

1. **D**I POTER ESPORRE IN PUBLICO. Expositio publica Ven. Sacramenti Eucharistiæ, non potest fieri à Regularibus nisi de licentia Episcopi, & ex causa publica ab eodem probata, ut sæpè sæpius respondit *Sac. Cong. Episcop.* & præsertim in *Cajet. 25. Octobr. 1602. in Tortonen. 27. Maii 1603.* & alibi, prout referunt ipsimet Authores Regulares, Lantusc. *Theat. regular. verb. Euchar. n. 1. & 2. Nicol. in flosc. eodem verbo n. 23.*

2. Quod procedit etiam in aliis Ecclesiis quocunque modo exemptis, & non habentibus jurisdictionem in populum, ut declaravit *ead. Sac. Congreg. in Florentina jurisdictionis inter Archiepiscopum, Episcopum Fesulanum 18. Maii 1696. referente Eminentiss. Card. Pamphilio.*

3. Confraternitates verò laicorum, si de licentia Ordinarii publicam expositionem Sacramenti Altaris faciant in eorum Ecclesiis, Parochus si velit, debet benedictionem populo dare, non autem eorum Cappellani: neque valent dictam publicam expositionem facere illis diebus, in quibus sit in Ecclesia Parochiali: prout partibus informantibus super utroque du-

bio respondit *Sac. Cong. Concilii in Ferrarien. jurium Parochialium 22. Martii 1698.*

4. **L**ICENTIAM PETITAM CONCEDIMUS. Licentia hujusmodi debet dari in scriptis, non quia necessaria sit scriptura, sed ad tuenda jura Episcopi, nempe ad effectum, ut semper appareat expositionem publicam Eucharistiæ in Ecclesiis Regularium fuisse factam propter positivam licentiam Ordinarii, non autem alio titulo, siue consuetudine, quam allegare possent, si Episcopus aliquando licentiam denegaret, & depreteritis non appareret: Undè supplices libelli à Priore Conventus subscripti cum rescripto in calce, in Cancellaria debent remanere, non solum ad effectum prædictum, sed etiam ut possit recognosci, an conditiones in licentia præscriptæ fuerint servatæ.

5. Datur autem licentia pro duabus vicibus hic in formula: sed si simpliciter esset concessa, pro una vice tantum intelligeretur data, Gabriel. *commun. concl. 1. 6. de legib. concl. 2. num. 12. Ricc. collect. 1711.* ubi de licentia extrahendi frumentum Nicol. *in flosc. verbo licentia n. 2.*

6. Et est quoque notandum, quod licentia non extenditur ultra petita, *c. inter in fin.*

in fin. de fid. Instrum. Rot. coram Duno. Jun. decis. 451. n. 11. sed rescriptum, seu Decretum semper recipit declarationem ab instantia, precibus, seu facto l. i. Cod. de divers. rescript. Lotter. de re benef. libr. 3. quæst. 4. num. 4. Rot. coram Priol. dec. 416. num. 10. & decis. 452. n. 3.

7. Secundò, quod licentia differt à gratia, quia illa non est perpetua, nec obligat successorem, nisi negotium sit cœptum, secus in gratia, Tusch. lit. L. conclus. 352. num. 20.

8. Tertiò, quod Regulares indigent licentia Episcopi in aliis etiam rebus, nempe Primò, in erectione novorum Conventuum, ut jam dixi in hoc eodem tit. Form. præcedenti. Secundò, pro editione, & impressione librorum, ac Thesum, Concil. Trid. sess. 4. Decret. de edit. & su libror. Tertiò, pro quæstu, quem velint facere per personas sæculares pro utilitate Conventus alicujus loci, Sac. Congreg. in Senogallien. 17. Januarii 1692. Quartò, pro laborando, & operas serviles faciendo diebus festis. Quintò, quoties velint conciones habere Bulla Clem. X. Superna. Sextò, pro alloquendis Monialibus conjunctis in primo, & secundo gradu, quamvis regimini eorundem subficiantur. Septimò, si curam exercent animarum, à cura abesse non possunt, neque ad libitum alios subrogare, nisi petita, & obtenta licentia Ordinarii, Con. Trid. sess. 25. cap. 11. de regular. Sac. Congreg. ejusdem in Florentina 18. Julii 1678.

9. Præterea subjiuntur jurisdictioni Ordinariorum locorum. Primò, si in numero à Constitutionibus Apostolicis præscripto in Conventu non commorentur, & regularem disciplinam non servant, Urban. VIII. const. 43. Bullar. nov. tom. 4. Innoc. X. in Bulla Instaurandæ, & Decreto ut in parvis de quo Fagnan. in capit. quanto num. 21. de offic. ordin. Panim. decis. 84. adnot. 2. num. 19.

10. Secundò, si invitati per edictum aliove modo, ad processiones publicas accedere negligant, vel contempnant, ad quas etiam censuris compelli posse, communior est sententia, Lauret. de Franch. contr. part. 1. num. 68. & 78. Pi-

gnatel. consult. 45. num. 13. & 14. tom. 3. ubi Decreta tam Sac. Congr. Concilii, quam Rituum id concedentia refert Panimoll. decis. 84. adnot. 1. n. 39. 45. & 46.

11. Et hoc intelligitur non solum de processionibus publicis, quæ fiunt in Civitate, & ubi Episcopus residet, sed etiam de illis, quæ fiunt in aliis locis, & Plebibus, ubi Regulares habent Monasteria, juxta Decretum Sac. Congr. Concilii, quod ex Lezana refert Barbof. in Summ. decis. Apostolic. collect. 605. num. 23. ibi -- Lezana ait Sac. Congr. Conc. declarasse publicas processiones, ad quas Regulares compelli possunt per Ordinarios esse, quæ fiunt in festo Corporis Christi, in Litanis, & Jubileis publicis faciendis in Plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria.

12. Tertiò, si censuras, & interdicta per Episcopum promulgata non servant Clem. 1. de sent. excommunic. innovatam à Concil. Triden. sess. 25. de regular. capit. 12. Garz. de benef. part. 5. cap. 8. n. 87. Sayr. de cens. lib. 3. cap. 33. num. 44. Sac. Congreg. Concilii in Cæsaraugustana interdicti 11. Junii 1695. In qua declaratum fuit Milites Hierosolymitanos sicuti cæteros Regulares, & exemptos teneri, & obligatos esse ad observantiam Interdicti per Archiepiscopum promulgati, non obstante allegata in contrarium consuetudine immemorabili.

13. Quartò, incedentes per Civitatem, & loca sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, & sine debita modestia religiosa, possunt per Episcopum in carceribus mancipari tamquam delinquentes extra Claustra, servata tamen forma Concilii Trid. sess. 25. capit. 14. de regular. Sac. Congr. Episc. in Andrien. 15. Decembris 1584. & in Ravennaten. 12. Septembris 1594.

14. Quintò, exercentes Curam Animarum in Ecclesiis Monasteriis unitis, in his quæ pertinent ad administrationem Sacramentorum, illorumque, ac Sacramentalium custodiam, & cultum, Episcopo Diocesano subjiuntur, (dummodo Ecclesia Parochialis non sit illius Conventus, in quo residentiam ordinariam habeat Generalis Ordini), vigore Bullæ Gregorii XV. Inscrutabili, de qua Fagnan.

Fagnan. in capit. cum Cappella de privileg. Sac. Congr. Concilii in Lauden. jurisdictionis 1. Decembris 1691. in qua plene articulo discussio, & partibus informantibus, fuit resolutum, Bullam præfatam non derogasse privilegio cap. 11. sess. 25. de regular. favore Generalium Ordinum concessio, Lauret. de Franc. contrav. part. 1. num. 553.

15. Sexto, Curati, seu Vicarii dictarum Ecclesiarum Parochialium Monasteriis unitarum, renuentes accedere, & intervenire Synodo Diocesano, & Congregationibus casuum conscientiarum, juris remediis ab Episcopo compelluntur, Sac. Congr. Concilii in dicta Lauden. in responsione ad octavum, & nonum, confirmata 20. Septembris 1692. juxta resoluta in Justinopolitana 24. Septembris 1639. in Comen. 16. Decembris 1645. & in Forosempronien. 3. Septembris 1650. lib. 15. Decret. pag. 76.

16. Septimo, ministrantes Laicis secularibus infirmis hospitantibus in eorum Conventibus Sacramenta Eucharistiæ per modum Viatici, & Extremæ Unctionis absque Episcopi, vel Parochi licentia, censuras in Clem. 1. de privileg. inflictas incurrunt, & possunt per Ordinarium etiam per cedulones excommunicati declarari, Ricc. prax. For. Eccles. 2. resol. 210. vers. 12. Barbol. de offe. & potest. Episc. alleg. 105. num. 68. Sac. Congr. Concilii in Nullius 19. Septembr. 1637. in Cremon. 27. Februar. 1649. in Ripana 3. Februar. 1652. confirmata in Gerunden. 13. Februar. 1694. & in magis recenter in Neapolitana 5. Junii 1700. in qua fuerunt declaratae validæ Censuræ publicatæ per Card. Archiepiscopum contra Monachum Monasterii Montis Oliveti, qui absque Parochi licentia Sacramentum Extremæ Unctionis cuidam Josepho Origlia intra septa Monasterii inhabitanti ministraverat; nec Cadavera sepelire, Nicol. lucubr. Can. lib. 5. tit. 28. num. 10.

17. Octavo, lædentes immunitatem Ecclesiasticam, Judex Processus est Episcopus, qui eo expleto remittit delinquentes puniendos ad Superiores, Ricc. decif. 119. num. 2. part. 2. Sac. Congr. Immunitat. in Panormitana 3. Februar. 1637.

18. Nonò, si Superiores moniti non doceant Religiosum reum de delicto publico, & gravi punivisse, potest Episcopus illorum negligentiam supplendo vigore cap. 14. sess. 2. de Regular. ipse punire, Quarant. in Summ. Bullar. verb. præcedentia vers. an in casu, Tambur. de jur. Abb. tom. 1. disp. 15. quæst. 7. n. 11.

19. Decimo, offendentes Ministros, & Officiales Curie Episcopi, prorogant illius jurisdictionem, & efficiuntur ejusdem fori, adeout possint ab eodem puniri, & carcerari, ut declaravit, & laudavit Sac. Congr. Episcoporum in Theatina 27. Martii 1692. referente Card. Caraffa, Sperell. dec. 160. n. 31.

20. Undecimo, erigentes Altare portatile, & Sacrum facientes in Domo privatorum, ut ibidem celebrent, & Viaticum ministrant Regulari infirmo absque licentia Ordinarii, possunt Censuris coerceri, & ligari, ut declaravit Sac. Congr. Concil. in Messanen. 20. Septembr. 1698.

21. Duodecimo, celebrantes Missas in Oratoriis privatis Domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die fuit ibidem jam celebrata unica Missa in Apostolico Indulto concessa, potest Episcopus in eos animadvertere, servata forma Concilii, sic censuit eadem Congregat. in Neapolitana 30. Maii 1699.

22. Decimotertio, Confessiones secularium audire, nec à casibus Episcopis reservatis absolvere non possunt absque expressa approbatione, & licentia eorundem, quovis privilegii, etiam maris magni, aut Cruciatæ prætextu, obstante eis ubique Bulla Clem. X. Superna. Neque extra Diocesim Episcopi approbantis pœnitentes absolvere, contra expressam prohibitionem dictæ Bullæ, & Decreti Urbani VIII. per extensum relati à Barb. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 43. num. 210. & Decreti novissimi Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Lusitana Jurisdictionis 11. Aprilis 1698. in qua referente Eminentissimo Card. Colloredo, omnium votis resolutum fuit, Constitutionem prædictam Clem. X. omnino à Regularibus, & pœnitentibus servandam esse, quolibet privilegio etiam Cruciatæ ( pluries expulso ) non obstante.

23. De-

23. Decimoquartò, degentes extrà Claustra, si delinquant, puniuntur ab Episcopo vigore *Constit. 39. Clement. VIII. Bullar. tom. 3. & vigore Decretorum Sac. Congreg. Concilii impressor. post Constit. 26. Urbani VIII. Bullar. tom. 4. Barbol. de offic. & potest. Episcop. alleg. 105. n. 14. & hoc est verum, etiam si Regulares delinquentes degerent extra Claustra de licentia Superiorum.*

24. Decimoquintò, si in horis non conuictis Missas celebrent, vel prædicent, & publicent miracula non autentica, possunt ab Episcopo coerceri, & puniri, ut ex Frasso, & aliis allegatis, tradit Raynald. *observ. Crimin. supplement. ad cap. 32. supplement. 4. num. 3. ad 30.*

25. Decimosextò, si censuram *Canonis si quis suadente 17. quest. 4.* vel aliam à jure latam incursum fuerint, ubi factum est certum, & habet speciem notorii, poterunt per Episcopum publicè denunciari, Card. de Luc. *de jurisd. disc. 29. num. 2. & disc. 47. num. 3. Sac. Congr. Conc. in Neapolitana 18. Aprilis 1693.* Notorium autem factum tunc dicitur, si evenit in loco publico, in quo solent homines communiter versari, undè quod fit Domi non potest dici notorium: si coram decem personis committatur: si fiat de die, quia de nocte non possunt homines benè videre, sic docet Raynald. *observ. Crim. supplement. ad cap. 32. supplement. 4. num. 115.* ubi dat concordantes.

26. Decimosseptimò, in casibus, in quibus Regulares exempti, vigore Concilii Tridentini subjiciuntur Ordinariis, poterunt Censuris coerceri, non obstante quod haberent privilegium, ne possent excommunicari: quia Concilium revocat omnia privilegia, & dat potestatem eos coercendi indistinctè, ut pro veritate tenet Card. de Luc. *de jurisd. d. disc. 29. num. 7. & disc. 104. num. 1.* ubi advertit, quòd licet Constitutiones Apostolicæ circa jurisdictionem Episcopi in Regulares, difficultates sustulerint, adhuc noviter inductæ fuerint à Moralibus Scriptoribus, qui curantes tueri causam propriam, enixè student Ordinariorum potestatem restringere, & quod fortè nulla Religio adest, quæ sive per specialem concessionem, sive per

communicationem, tale privilegium habere non prætendat.

27. Decimoctavò, non possunt superiores Regulares in Monasteriis Monialium ipsis subjectis recipere, & admittere Puellas ad habitum Religionis, nisi Episcopo certiorato, Barbol. *supra Conc. sess. 25. cap. 17. num. 10. de Regul. & de potest. Episcop. allegat. 100. num. 4. Donat. de Regular. tom. 4. tract. 9. quest. 8. num. 6. Pignatell. consultat. 85. num. 151. tom. 6.*

28. Decimononò, Regulares, qui peracto Sacrificio Missæ circumeunt per Ecclesiam offerentes adstantibus osculum Patenæ, possunt ad removendum hunc abusum ab Episcopo coerceri vigore Decreti Concilii Tridentini. *de exit. in celeb. Miss. cum Patena numquam dari debeat populo osculanda, ut pluries declaravit, & prohibuit Sac. Congr. Rituum apud Biff. Hierurg. tom. 2. litt. O. verb. Oblatio. num. 4. & litt. P. verb. Pax num. 91. §. 4. & litt. S. verb. Subdiaconus, §. 22.*

In prædictis casibus inquam adhuc vestigia jurisdictionis nativæ Episcoporum remanent contra Regulares, qui ex nimia Sedis Apostolicæ libertate in cæteris exemptione gaudent; in causis verò civilibus, & aliis actibus jurisdictionalibus, erit servanda *Constitutio Gregorii XV. la. 9. Bullar. tom. 4. emanata super modo, & forma eligendi Regularium Conservatores, quæ in Appendice operis apponitur.*

29. Regulares autem Religionis suppressæ, non remanent liberari à votis, sed adhuc his obstricti sunt; adeo ut nec matrimonium, nec Testamentum facere, nec in Fideicommissis, & hæreditatibus succedere, nec acquirere possint, ut respondit *Sac. Congreg. Concilii in Veneta 13. Maii 1679. & in Bononien. 25. Augu. 1692. Passerin. de stat. hom. tom. 1. quest. 185. art. 8. num. 167. & 168.*

30. Et hic quoque nota, quod Regulares omnes tenentur in quacumque alienationis specie tam stabilium, quam mobilium pretiosorum, sive translatione Domini, aut creatione censuum, licentiam petere, & obtinere à *Sac. Congr. Concilii, prout Decreto generali mandavit Urbanus VIII. 7. Septemb. 1624.*

31. Hæc

31. Hæc autem licentia gratis ab eadem Congregatione expediri debet sicuti in dicto Decreto injunctum fuit, cujus observantia denuò demandata extitit ab eadem Congregatione sub die prima Decembris 1691. his verbis -- Pro omnimoda observantia, & executione Decreti, & gratis expediantur res Regularium, aliorumque in Decreto comprehensorum de licentia hujus Sac. Congregationis tantum in scriptis danda juxta formam, & tenorem prædicti Decreti à san. mem. Urbani VIII. confirmati, si Sanctissimo D. N. placuerit.

Die 4. Decembris 1691. facta relatione per Secretarium, Sanctissimus mandavit servandum esse Decretum san. mem. Urbani VIII. super hac re editum, & de licentia Congr. Concilii, & gratis juxta ejusdem formam, & tenorem.

R. Pallavicinus S. C. C. Secretarius.

32. Religiosi insuper Dominicani non habent jus visitandi Confraternitates Laicorum, erectas in eorum Ecclesiis, nec eis permitti debet, ut rescripsit Sac. Cong. Episcoporum. Vicario Spoletano 23. Aprilis 1602.

33. Nec facultates eidem PP. tributæ superintendentiæ spiritualis in Societates Rosarii extenduntur ad illas, quæ reperiuntur erectæ extra eorum Ecclesias, ut pariter eidemmet Ordinario Spoletano respondit eadem Sac. Congreg. sub die 13. Maii 1603.

Alia de Regularibus tacta reperies in Appendice Adnot. ad Const. Clem. X. & Gregor. XV.

34. Item adverte, quòd Superiores Regulares non possunt apponere interdictum in Ecclesia ipsis subjecta: Quia eorum jurisdictionis est personalis, non autem localis: Et etiam quia actus iste percutit exercitium jurisdictionis in Clerum, & populum, illos privando, ne in ea celebrare, & respectivè audire possint divina, & sic cum non Subditis, ut benè de more ratiocinatur Card. de Luc. de jurisdic. discurs. 99. num. 2. & nuper partibus auditis, & informantibus declaravit Sac. Congr. Episcoporum. & Regular. in Neapolitana Censurarum 21. Junii 1697. referente Card. Cavallerio, contra Abbatem S. Petri ad Aram, qui

Ecclesiam Monialium Reginae Cœli sibi subjectam, interdicto subjecerat.

35. Item, quòd Regulares possidentes bona stabilia in communi, tenentur solvere procuracionem Visitatori Apostolico; quia à tali onere nemo est exemptus, licet non esset expressum in facultatibus, dummodo non habeant privilegium peculiare, ut ex pluribus Decretis Sac. Congregationis probat Nicol. in fosc. verb. Visitatio Apostolica à num. 15. ad 25. & in lucubr. canon. lib. 3. tit. 39. num. 23. & 34. Sac. Congreg. Episcoporum. & Regular. in S. Severini 10. Junii 1695.

36. Item, quòd licet nonnulli Regulares possint ex privilegio Apostolico promoveri ad Ordines diebus festis per annum extra tempora à jure statuta, ut ex largitione Gregor. XIII. Constit. 77. gaudent PP. Societatis Jesu: Non inde inferri, & deduci potest, quòd cæteri aliorum Ordinum, qui cum illis participant de privilegiis, possint vigore hujusmodi communicationis recipere Ordines extra tempora: Sed debent simile indultum concessum, vel confirmatum post Concilium Tridentinum exhibere, aliàs illicite ab Episcopo promoverentur, Barbof. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 33. num. 182. Ventrigil. prax. part. 1. adnot. 44. S. Unico num. 12. Sac. Congregat. Concilii in Senon. 11. Aprilis 1699.

37. Item, quòd Abbates, & Superiores Regulares tenentur residere intra Claustra Monasterii, non autem in privatis domibus, non obstante prætextu majoris commoditatis negocia Religionis peragendi, & consuetudine non residendi, ut respondit Sac. Congregat. Concil. in una Barchinonen. Residentiæ 27. Januarii 1691. in qua fuit injunctum Episcopo, ut Abbatem Sancti Cucuphatis cogeret nomine ejusdem Congregationis.

Licentiæ absentandi causa  
Studii.

FORMULA XXI.

SUMMARIUM.

1. Episcopus concedit licentiam ad Studia onus residentie habentibus exceptis Parochis.
2. Episcopus licentiare debet ad Studia docibiles.
3. Docibiles non præsumuntur, qui excedunt ætate 25. & ad summum 30. annorum.

4. Licentia ad Studia non datur regulariter, nisi pro locis, ubi viget Universitas, pro studio Theologia, & Canonum, nisi in Universitatibus privilegiatis.
5. Quod possit dari etiam pro Studio Grammaticæ tenent alii.
6. Licentia huiusmodi suffragatur pro solo quinquennio.
7. Conceditur ab Episcopo, non autem à Vicario.
8. Non tamen quando propter absentiam plurium Canonorum servitio Ecclesiæ præjudicium inferatur.
9. Non conceditur à Papa, nisi concurrat consensus Ordinarii.

Dilecto &c.

**U**T tu, qui in ætate ..... annorum es constitutus, & docilis ingenii ad Studia aptus, idoneusque reperiris, in Universitate N. juris Canonici, & Sac. Theologiæ Studio sedulo incumbere valeas, à residentia uti Canonici catus per quinquennium tantum abesse possis, licentiam gratis concedimus. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

**1. ET DOCILIS INGENII.**  
Hæc licentia conceditur ab Episcopo vigore cap. final. de Magistr. & cap. Relatum de Cler. non resid. quæ jura, nulli adhuc correctæ reperiuntur; immò potius per Concil. Trid. roborata in cap. 1. sess. 5. de Refor. nisi quoad Rectores Ecclesiarum Parochialium, quibus non nisi per Papam, vel Sac. Congr. Concil. dispensatur, Ricc. in prax. part. 1. resol. 321. n. 1.

2. Hi autem causa Studij licentiandi sunt à residentia, qui sunt docibiles, & Studia jam inceperunt, non autem cæteri, quos natura non adjuvat, prout clarè innuit Text. in dicto cap. final. ibi, ad Theologiæ professionis Studium aliqui docibiles destinantur: Et idè Episcopus antequam petentibus licentiam concedat, ex-

quirere debet an ætate, natura, & ingenio licentiandus possit in litteris proficere ut docet Fagnan. in cap. Cum ad hoc nu. 10. de Cleric. non resid. Et quando dubitet de aptitudine, licentiam concedat limitatam ad annum, vel biennium, ut experiatur an proficiat.

3. Docibiles verò non præsumuntur hi, qui excedunt ætate vintiquinque annorum, ex doctrina Bartol. in l. 1. Cod. qui ætat. se excusant lib. 10. afferentis majores vintiquinque annorum esse inhabiles ad Studia, quod etiam comprobatur ex Ecclesiast. cap. 6. ibi -- sili à juventute excipe doctrinam, & ad summum triginta, ut à Sac. Congregat. decisum fuisse testatur Zerol. in prax. part. 1. verbum Studium dub. 1. §. Ad secundum, quem refert Pac: Jord. tom. 2. elucubrat. lib. 10. tit. 40. nu. 133. Barbof. supr. Conc. sess. 5. de refor. c. 1. post. n. 59.

4. JU-

4. JURIS CANONICI, ET SACR. THEOLOGICÆ. Regulariter talis licentia non datur, nisi pro locis, in quibus Generale Studium, sive Universitas viget, nec pro aliis scientiis, quàm Theologiæ, & Sac. Canonum, juxtà dispositionem Text. in cap. Licet de præb. & dignit. Nam constituti in Sacris prohibentur studere legibus, & physicæ, per Text. in cap. super specula, ubi Canonistæ communiter ne Cler. vel Monac. Nisi fortè Studiis hujusmodi incumbant in Universitatibus privilegiatis, prout sunt in Italia, Romana, & Patavina, & in Hispania, Salmaticen. in quibus Scholares Clerici possunt etiam aliis honestis, & licitis facultatibus operam dare absque incurfu pœnarum, Garz. de Benefic. part. 3. cap. 2. n. 194. Pac. Jord. dicto tom. 2. lib. 10. tit. 40. à num. 133. ad 141. ubi alia requisita, & conditiones enumerat.

5. At quod hæc licentia possit dari etiam pro Studio Grammaticæ, quæ est fundamentum omnium scientiarum, & quod favor Text. in dicto cap. Licet. de præb. & dignit. ad illam extendatur, tenet Ricc. in prax. par. 2. resol. 33. num. 1. ex Federic. de Sen. cons. 146.

6. PER QUINQUENNIVM. Licentia quamvis simpliciter esset concessa non suffragaretur ultra quinquennium à die quo quis studere cœpit, ut declaravit Sac. Congr. Concilii apud Garz. dicto c. 2. n. 101. Barbof. supra Concil. sess. 5. de Re-

form. cap. 1. num. 60. & in Sum. decis. Apostol. collect. 449. num. 25.

7. GRATIS CONCEDIMVS. Licentia abscedendi à residentia gratis est concedenda, ex traditis à Fagnan. in cap. Relatum num. 21. de Cleric. non resid. & ab Episcopo, non autem à Vicario Generali, qui talem facultatem non habet, nisi Episcopus longè absit, vel licentiam à Vicario concessam ratam habeat, ut ostendit Abb. in consil. 88. num. 5. & 6. libr. 1. ubi ampliat in loco, ubi adest consuetudo.

8. Quando autem plures Canonici essent absentes, & numerus eorum esset exiguus, Episcopus animadvertere debet an servitium Ecclesiæ, & Divinus Cultus lædatur per concessionem hujus licentiæ, prout observandum esse monet Bonac. de his, quæ ad Divin. Offic. &c. disp. 2. quæst. 5. punct. 3. §. 9. n. 6. nam si exinde notabile damnum Cultui Divino per absentiam plurium Canonicorum inferretur, à concessione licentiæ esset abstinendum.

9. De Indulto autem quod solet expediri per Datariam, agit Corrad. prax. disp. lib. 5. cap. 6. nu. 21. ubi Formulam tradit, & num. 32. vers. 8. & ultimo testatur, quod numquam, aut rarò gratia hæc concedatur, nisi concurrat licentia Ordinarii, prout disponit Constitutio Pii IV. quam ibidem refert, & quod pro executione eisdem Ordinario remittatur.